

II C  
1317

DE  
CONSISTORIO PRINCIPVM  
SPECIMEN  
IVRIS ROMANI PVBLICI

G.K.  
420  
9.

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

P R O

SVMNIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
CONSEQVENDIS

D. X. IVLII A. C. CIOIDCCCLXXXVIII

H. L. Q. CC

AD DISPVTDVNDV PROPOSVIT

CHRISTIANVS GOTTLIEB HAVBOLD

PHILOSOPHIAE ET ARTIVM LIBERALIVM MAGISTER

IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREVS



L I P S I A E

EX OFFICINA SAALBACHIA





CONSISTORIO PRINCIPALIS

SPECIMEN

REACTIO ROMANI IMPERII

ANNO DOMINI MDCCLXXII

IN AUSTRIA

PRO

SVAVIS IN VITIORE VITAE HONORIBVS

COMPOSITVM

EX OFFICINA PUBLICA

H. L. O. CO.

IN AUSTRIA

CHRISTIANVS COLLEGIUM HABEBIT

PRO DOMINA ET ANTIQVAE VITAE MAGISTRI

IN AUSTRIA

IMPRESUM  
IN AUSTRIA



EX OFFICINA

IN AUSTRIA





QVINQVE VIRIS  
ILLVSTRISSIMIS ATQVE EXCELLENTISSIMIS  
SERENISSIMI DVCIS ELECTORIS SAXONIAE  
IN SACRO CONSISTORIO  
COMITIBVS  
ACADEMIARVM SAXONICARVM  
CVRATORIBVS SAPIENTISSIMIS  
LIBERALIS DOCTRINAE CVLTORVM  
FAVTORIBVS AC PATRONIS  
INDVLGENTISSIMIS  
DISPV TATIONEM HANC INAVGVRALEM  
MAXIMA REVERENTIA  
ET VERA DEVOTI ANIMI PIETATE  
D. D. D  
CHRISTIANVS GOTTLIEB HAVBOLD



QVINQVE VIRIS  
PLVSTISSIMIS ATQVE EXCERISSIMIS

SERENISSIMI DUCIS SACCHESSIS PALATINVS

IN SACRO CONSISTORIO

COMITIVS

ACADEMIAVM SACRO SACRAM

CVRATORIVS PATRISTISSIMIS

LIBERIS ET LIBERIS

FACULTATIBVS PATRISTISSIMIS

INDICANT

DIVINATIONEM HANC TRIVALEM

MAXIMA REVERENTIA

ET VERA DEO ANIMI LIBERTATE

D. D. D.

CHRISTIANVS GÖTTLICH HAYOLD





DE  
CONSISTORIO  
PRINCIPVM ROMANORVM

PRAEFATIO

**F**uit hoc commune populorum antiquorum institutum, vt ardua quaeuis et grauiſſima negotia, a quibus vniuerſae reipublicae ſalus penderet et fortuna, non vnius hominis permitterent arbitrio, ſed plurium virorum prudentum conſilio regi mallent et adminiſtrari. Quam quidem conſuetudinem vel tunc conſtat obtinuiffe, quum ipſa imperii vis et maietas eſſet ex formula ciuitatis penes vnum vel paucos, quibus, ne auctoritate abuterentur ſua, adiuncti ſunt plerumque adſeſſores et conſiliarii, tanquam poteſtatis, in paucorum manibus periculofae, participes et moderatores. Ita reges Lacedaemoniorum habuerunt praeter augurem, quem ipſis CICERO *a)* expreſſe tribuit adſeſſorem, ſuos *σοφιστας*, quod e XENOPHONTE *b)* probauit GE. D' ARNAVD *c)*, et Archontibus Athenienſium dati ſunt *πρόεδροι*, quorum quiſque duos in conſilium adhibebat, ne ob legum imperitiam ipſe male iudicaret *d)*; nec deſuiſſe huiuſmodi conſilium Perſarum regibus,

haud

*a)* de diuinat. Lib. I. c. 43.

*b)* de rep. Laced. c. 13.

*c)* Var. Conieſt. Lib. I. c. 17.

*d)* Poſteſt hoc demonſtrari e DEMOSTHENIS Orat. contra Neaeram, (Tom. II. pag. 1372. ed. REISK.) nec non ex

A

VLPIANO



haud inepte suspicatur RAD. FORNERIVS *e*). Imitati sunt hunc morem Romani quoque, qui omni tempore principibus suis ac magistratibus adesse voluerunt viros prudentes rerumque peritos, quorum consiliis in administranda republica singulisque eius partibus illi vterentur. Ac sub ipsis quidem ciuitatis primordiis, quum rerum summa esset penes reges, non senatus solum ab his in grauissimis caussis consulebatur, sed praesto erant etiam peculiare consiliarii, diuersi a senatoribus, et ad exemplum forsan regni Spartani instituti, quos regibus Romanis iure suo vindicarunt D'ARNAVD *f*) et ADRIANVS VAN DER HOOP *g*). Nota sunt porro tempore liberae reipublicae exempla Consulium, Praetorum, Aedilium Curulium *h*), et magistratuum in primis prouincialium, qui cum consilio et adfessoribus suis curam praecipue iuris dicendi sunt partiti; nec in castris adeo imperatores solos de rebus militaribus statuiffe, sed castrensem quasi senatum adhibuisse, dudum a CAR. SIGONIO *i*) est demonstratum. Idem et sub

VLPIANO *ad Orat. in Midiam*, Tom. V. p. 193. edit. WOLF. IVLII POLLVCIS *Onomast.* Lib. VIII. c. 9. segm. 92. (Tom. II. p. 911. ed. HEMSTERHUIS.) et HARPOCRATIONIS *Lexico*, v. *παρρηγορ*, p. 233. ed. MAVSSACI; cf. GE. D'ARNAVD *Comm. de diis παρρηγορ*, c. 8. p. 43. et iudicium hac de re IOSEPHI L. II. *contra Appionem*.

*e*) *Rerum quotid.* Lib. III. c. 10. in EV. OTTONIS *Thef. Iur. Rom.* T. II. p. 236.

*f*) *Var. Coniect.* Lib. I. c. 17.

*g*) in *Diff. de iis, qui antiquius apud*

*Romanos de criminibus iudicantur* c. 1 — 3. in *Supplem. Thef.* MEERMANNIANI, pag. 608. 144.

*h*) De Aedilium Curulium adfessoribus res posset videri in ambiguo posita. Sed hac ex causa IUVENALI *Sar.* III. v. 160. 144. testimonium denunciauit IO. FRID. THEOD. ROJLE, Vir Consultissimus, in *Diff. Hist. iuris ciuilibus de adfessoribus magistratuum Romanorum*, Lips. 1787. habita.

*i*) *de antiquo iure prou.* Lib. II. c. 6. Tom. II. p. 225. ed. quae prodit Lips. et Hal. 1715. II. Tom. 8. cf. IAC. PERI-

ZONII



sub Imperatoribus habitus est adfessoribus honor, nisi quod nouis etiam magistratibus, qui occupata demum republica accessissent, darentur iidem more maiorum, qui ipsos in causis ad eorum munus pertinentibus, in primis autem controuersis cognoscendis decidendisque, ope et consilio adiuuarent; qualia fuisse Auditoria Praefectorum Vrbi et Praetorio, infra obseruabimus. Nullum vero sequiori aevo consilium aut dignitate amplius, aut potestate fuit praestantius illo, quod modo *Auditorium*, modo *Consistorium Principis* dictum est, et Imperatori ipsi de rebus grauissimis et maxime necessariis deliberanti adsedit. Tantum vero abest, ut tam splendidum imperatorii fastigii consortium pro dignitate sua a veteribus vel recentioribus scriptoribus satis fuerit descriptum, ut potius nobis, de argumento libelli academici cogitantibus, non visum fuerit vllum vel suauitate sua, vel nouitate, vel etiam, si velis, grauitate magis commendabile, quam quod de Consistorio Principum Romanorum exponeret. Quamquam enim ante nos non solum IAC. GOTHOFREDVS *k*) et IAC. GVTherivs *l*) multa, quae ex antiquitate in hunc censum veniunt, capita illustrarunt, sed IOANNES FILLEAV *m*) et IVST. CHRIST. THORSCHMID *n*) peculiaries ea de re libellos composuerunt; quibus addi possunt, quae

A 2

FERD.

ZONII Disquis. *L. de Praetorio*, §. 17. sqq.  
p. m. 34. seqq.

*k*) in *Comm. ad varios tit. Cod. Theod.*  
v. g. *L. 3. de officio iudicum omnium*, (L. I.  
tit. 10.) *L. vii. de Comitibus Consistorianis*,  
(L. VI. tit. 12.) *L. 5. de fide testium et*  
*instrumentorum*, (L. XI. tit. 39.) etc.

*l*) *de officiis dom. Augustae L. I. c. 17.*

sqq. et in reliqua operis praestantissimi  
parte passim.

*m*) *Tract. de Comitibus Consistorianis*,  
Parif. 1631. 8. qui insertus est GER.  
MEERMANNI *Thef. iur. ciu. et dan.* Tom.  
I. p. 335 — 348.

*n*) *Diss. Historia Comitum Consistoriano-*  
*rum in imperio Orientis*, Viteb. 1720. 4.



EERD. AVG. HOMMEL *o*) et ANDR. FLOR. RIVINVS *p*) in differtationibus similis certe argumenti, attulerunt: tam parum nihilominus viri hi ceteroquin doctissimi veram augusti illius collegii originem, indolem et vicissitudines videntur in lucem posuisse, vt nostrae adhuc operae non tam spicilegium, quam messem potius superesse intelligamus.

## CAPVT I.

### DE VARIIS CONSISTORII PRINCIPVM NOMINIBVS.

#### §. I.

#### *De nomine Consistorii.*

Occurrit inter multa, quibus consilium, ab Impp. Rom. ad res tam publicas, quam priuatorum cognoscendas ac definiendas adhibitum, solet insigniri, nomina nullum, quod ei videatur esse magis proprium, quam *Consistorii* appellatio; quamquam non ignorem, esse eam demum sequiori aeuo natam, et aeque frequenter separari ab *Auditorio Principis*, ac temere hoc cum *Consistorio* a multis solet confundi. Descendit autem *Consistorii* vocabulum ab eo, quod, vbi Princeps esset, ibi *consisterent* etiam consiliarii et comites, eumque de caussis grauissimis deliberantem circumdarent, quemadmodum TERTVLLIANVS *a*) *terram*, inquit, *in qua homines consistimus, Consistorium vocant.* Eodem sensu veteres *constituere* et *constitulum* de multitudine hominum, qui simul

con-

*o*) in Progr. quo solennia inauguralia HENR. GOTTL. FRANCKE indixit, Lips. 1748. scripto, sed peculiari inscriptione destituito.

*p*) in Diff. *de auditoriis legalibus*, Vi-  
teb. 1755. 4.

*a*) *de resurrect. mort. c. 20.*



conuenissent, dixisse, FESTI et GLOSSARIORVM auctoritate probavit IAN. GEBHARDVS *b*); nec displicuit haec vocabuli origo BARN. BRISSONIO *c*), IAC. GVTHERIO *d*), ARN. CORVINO *e*), IAN. VINC. GRAVINAE *f*), aliisque. Quam ob causam nollem sentire cum IO. DAN. RITTERO *g*), qui, vbicunque *Princeps consistat*, ibi de rebus ad salutem reipublicae, ciuium subditorumque pertinentibus statui potuisse, et hinc ipsum *Consistorium* vocatum esse existimat. Multo minus satisfecit mihi IO. FILLEAV *h*), qui ideo consistorium appellatum esse censet, quod in eo solum Imperatoris esset exstructum, in quo, deliberantibus Consistorianis suis, ipse confideret. Ac profecto iuuat opinionem, qua *Consistorium* a *multitudine* consiliariorum circa Imperatorem *stantium* deriuatur, locus SVIDAE, quem BRISSONIVS affert *i*): συνέδριον καὶ τὸ σύστημα, ἔνθα περὶ τῶν ἐπιγιγνόντων βουλεύεται. Similem verbi huius interpretationem suppeditant veteres GLOSSAE verborum iuris *k*): κοιμιστόριον θεῖον συνέδριον. Κοιμιστόριον βασιλικὸν σέκετον nec non LEXICON Graecum *l*) et GLOSSAE βασιλικῶν, vbi etiam redditur aliquando,

A 3

auctore

*b*) Crepundior. Lib. III. c. 2. in IO. HERM. SCHMINCKII *Syntagm. crit.* (Marp. 1717.) p. 468.

*c*) de *V. S.* Lib. III. v. *consistorium*.

*d*) de *offic. dom. Aug.* Lib. I. c. 17.

*e*) in *method. enarrat. ad rit. Cod. Iust. de Comitibus Consistor.*

*f*) de *Rom. Imperio* c. 17. in EIVS *Opp.* p. 496. ed. MASCOV.

*g*) ad IO. GOTTL. HEINECCI *Hist. iur. ciu.* L. I. §. 280. \*

*h*) l. c. c. 3. in MEERMANNI *Thef.* Tom. I. p. 340.

*i*) l. c. Ipsam enim SVIDAE locum nondum potui reperire, quum v. κοιμιστόριον, T. II. p. 347. ed. KVISTER. nihil suppediret, praeter illud: κοιμιστόριον θεῖον συνέδριον.

*k*) in EV. OTTON. *Thef.* Tom. III. p. 756.

*l*) *MS. Reg. Cod.* 2062. κοιμιστόριον κατὰ λατίνους, θεῖον συνέδριον, qui locus excitatur a CAR. DV FRESNE *Glossar.*



auctore certe DV FRESNE *m*), per *σχεπετάριον βασιλικόν*. Iam quamquam Imperatores dudum eiusmodi consilio vti essent, quod curam rerum publicarum cum ipsis participaret: vix tamen *Consistorii* nomen ante DIOCLETIANI et MAXIMIANI AA. tempora inueneris; neque noui ego auctorem antiquiorem AMMIANO MARCELLINO, qui illud adhibuerit (TERTULLIANVS enim de nostro collegio non loquitur); quod et ipse OLAVS BORRICHIVS *n*) negare non potuit, quamuis magno conatu vocabuli nostri aduersus eos, qui inter barbara referunt, in quorum numero est in primis AVCTOR FORI ROMANI, vindicias susceperit. Proinde frustra illud in Digestis quaesueris; neque in Codice exstat constitutio hoc nomine insignis, quae aetate antecedit illam, cuius auctores leguntur Imperatores modo a me excitati *o*). Sunt autem plures huius verbi significationes, e quibus delibare placet praeter duas illas, quarum altera, vt supra vidimus, laxior erat, et omnem locum, vbi a multitudine hominum consistitur, comprehendebat, angustior altera et sanctiori amicorum comitumque Principis Romani collegio propria, tertiam, qua pro ipso loco, vbi Imperator cum Consistorianis suis deliberabat, ponitur *p*), et quartam, qua intelligitur, teste DV FRESNE *q*), pars aedium cubicularii

*fav. ad scriptt. med. et inf. latin.* T. II. p. 991.

*m*) *l. c.* Vulgo enim habent *συγκλητήριον*.

*n*) in *Cogitationibus de variis Linguae Lat. aetatibus*, (Hafn. 1675.) p. 73. sqq.

*o*) L. 12. C. *de poen.* cf. quodammodo L. 2. C. *de excusat. muner.* (L. X. tit. 47.)

de quo loco adeundus IAC. GOTHOFRE-DVS ad L. 3. Cod. *Th. de offic. iud. omn.* (L. I. tit. 10.) et L. 5. *de fid. rest.* (L. XI. tit. 39.)

*p*) Vt apud AMMIANVM MARCELLINVM Lib. XIII. c. 7. p. 35. XV. 5. p. 79. et 83. ed. VALES.

*q*) *l. c.* T. II. p. 991-



riis potissimum addicta, in qua excubabant potius, quam cubabant, quo paratiores essent ad domini praecepta *r*). Praeterea solent consistorii vocabulo, in primis quando de ipso Imperatoris consilio dicitur, addi varia ἑπιθετα, quibus ad splendorem eius et dignitatem respicitur: nullum vero frequentius *sacri* cognomine, quo ex adulatione temporum illorum ornabant homines, quidquid ad Imperatorem et domum Augustam, quam diuinis honoribus prosequabantur, pertineret *s*); vnde non mirum, *Consistorii sacri* in ipsis etiam lapidibus occurrere mentionem *t*), et passim apud Graecos, praesertim lexicographos, coniungi θεῶν συνέδριον, θεῶν κοινοβόριον *v*).

## §. 2.

## De nomine auditorii.

Consistorio affine est *auditorii* nomen, quod et antiquius illo, et, si velis, etiam frequentius est, quamquam nec satis idoneum dici, nec huic collegio tanquam proprium ac peculiare possit vindicari. Ac videtur sane in vniuersum esse *auditorium* locus, in quo quis audiatur vel orans, vel legens, vel iudicans [addo enim id notioni, quam dedit IO. MATTH. GESNERVS *a*)]; cuius quidem significationis exemplum, praeter ea, quae exhibent QVINCTILIA-

NVS,

*r*) Hoc sensu legitur *consistorium* apud SIDONIVM APOLLINAREM Lib. II. *epist.* p. 31. edit. quae prodit Lugd. 1598. 8.

*s*) cf. PET. BURMANNI de *Vestigg. Pop.* R. Diss. c. 10. p. 159.

*t*) V. IANI GRVTERI *Corp. Inscriptt.* P. CCCXXXXVIII. n. 7. *Consistorium*

*Principum* legitur *ibid.* p. XXVIII. n. 2. crebrior tamen *auditorii sacri* apud veteres mentio, de quo statim.

*v*) Eodem modo *Concilium Chalcedonense* Act. I. habet συνετάριον τοῦ θεῶν κοινοβόριου.

*a*) *Thef. Ling. Lat. h. v.*





NVS *b*), SVETONIVS *c*), et PLINIVS *d*), legimus in vita Augusti, qui nonnulla (e scriptis suis) in coetu familiarium, velut in auditorio, recitavit *e*). Proinde opponitur nonnunquam auditorium foro verisque litibus, tanquam locus a controuersis disceptandis plane alienus. Ita PLINIVS *f*): nos, qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiae, quamuis nolimus, addiscimus. Schola et auditorium, ut ficta causa, ita res inermis et innoxia est; QVINTILIANVS *g*): non — eandem esse conditionem sciamus litium ac disputationum, fori et auditorii, praeceptorum et periculorum; et AVCTOR de causis corr. eloqu. *h*): sic nunc te ab auditoriis et theatris in forum et ad causas et ad vera proelia voco. E quibus locis quamquam recte argumentetur IAC. PERIZONIVS *i*), vocabulum auditorii illis adhuc temporibus haesisse proprie in scholis rhetorum ac locis quibuscunque, vbi poetae alique homines coram amicis sua poemata vel declamationes recitare consueuerint: non tamen dubito, quin iam tum iis etiam hominum conuentibus, vbi ius vere redderetur, auditorii nomen tributum fuerit. Quam quidem sententiam etsi probare nollem ex alio eiusdem AVCTORIS *k*) loco, a PERIZONIO *l*) dudum sanitati reddito, obseruavi tamen, non solum ASCONIVM PAEDIA-NVM *m*) auditorium Praetoris maiorumque causarum a subselliis distinguere,

*b*) Instr. Or. Lib. II. c. II.

*c*) de claris rhet. c. 6.

*d*) Lib. III. ep. 7.

*e*) Auctore SVETONIO in eius vita c. 85. cf. IDEM in Claud. c. 41. Plura dabit IUSTVS LIPSIVS in Epist. de recitatione apud veteres, quam SICCAMAE de iudicio centumviri (Halaë 1776. 8. re-

petito) adiecit Vir Illustris, CAR. FRID. ZEPERNICK, p. 425. sqq.

*f*) Lib. II. ep. 3.

*g*) Instr. Or. Lib. X. c. I.

*h*) c. 10.

*i*) Disquis. de Praetorio, Diss. II. §. 30.

*k*) de causis corr. eloqu. c. 39.

*l*) l. c. §. 31. p. m. 203. sq.

*m*) in CICERONIS Diuinat. f. 22.



guere, sed CICERONI *n*) etiam, SVETONIO *o*), et in primis iuris nostri auctoribus *p*) solenne esse hoc, vt *audiendi* verbo de iudice, qui causas cognoscit, vtantur; quare cum CORN. VAN BYNKERSHOEK *q*) *auditorium* recte mihi videor definire locum causis audiendis destinatum, qualem Graeci etiam dicunt ἀγοστήριον *r*). Atque hoc sensu occurrit frequens in Digestis *auditoriorum* mentio *s*), quae, quemadmodum solent omnibus omnino magistratibus passim tribui *t*): ita κατ' ἐξοχὴν Principi et, qui eius loco cognoscit, Praefecto Praetorio vindicantur *v*). Vnde simul patet, quam

*n*) pro Flacco, c. 39.

*o*) in *vir. Domitiani* c. 16.

*p*) Multa exempla collegit BRISSONIVS de *V. S. v. audire*. cf. de hac significatione, sequiori maxime aetati propria, ANT. MATTHAEVS in *veteris aevi analectis*, (Lugd. B. 1698. 8.) T. I. p. 464. sq. et DV FRESNE *l. c.* Tom. I. p. 835. Inde *audientia* pro cognitione, *auditor* pro iudice, vt IDEM animaduertent.

*q*) ad L. *Lecta*, 40. D. de *Reb. Cred.* c. 2. in *Opuscul.* (Hal. 1729. 4.) T. I. p. 10.

*r*) v. g. *Act. Apost.* c. XXV. v. 23.

*s*) v. g. L. pen. D. de *adfect.* L. 18. §. 1. et 2. de *minor.* L. 41. de *recept. arbitr.* L. 78. §. pen. de *iure dor.* L. 54. §. 1. de *re iudic.* v. IAC. CVRTIVS ενναξῶν Lib. II. c. 43. in OTTON. *Thes. iur.* Tom. V. p. 182. VAN BYNKERSHOEK *l. c.*

*t*) EV. OTTONIS *Papinianus*, c. 14. §. 5. p. m. 321. Ill. GER. OELRICHS *Diff. de vita, studiis, honoribus et scriptis Aelii*

*Marciani*, (Trai. ad Rh. 1754. 4.) Sect. I. c. 9. §. 2.

*v*) d. L. 18. §. 1. de *minor.* L. 22. pr. D. ad SC. *Trebell.* L. 40. de *reb. cred.* Quumque eodem sensu in Codice quoque Theodosiano, puta, in L. 2. C. Th. de *pactis et transact.* (Lib. II. tit. 9.) L. 13. 40. 44. 48. 64. C. Th. de *appellat.* (Lib. XI. tit. 30.) L. 3. 4. 5. C. Th. de *reparat.* (Lib. XI. tit. 31.) et saepius, *auditorii* vocabulum pro *iudicio*, in primis *loco iudicii* positum sit: non possum adsentiri sententiae Viri summe reuerendi, et de litteris tam sacris, quam profanis, optime meriti, IO. AVG. WOLFFII, qui in *Diff. de Larimicare ecclesiastica in Cod. Theodosiano* (Lips. 1774) §. II. p. 36. vocabula: *audientia*, et *auditorium*, ad exemplum scripturae sacrae et in primis *Act. c. XXV. v. 23.* a scriptoribus Christianis ficta, et in Cod. Theod. translata esse existimat.





quam aliena sit a vero BARTOLI x) aliorumque, qui de iure civili magis hallucinati sunt, quam commentati, opinio, qua sub *auditoris*, qualia magistratibus et Principi tribuuntur, loca lectionibus et scholis Ictorum destinata intelligere volunt, quem quidem errorem ANDR. ALCIATVS y), VDALR. ZASIVS z), EV. OTTO a), et nuper demum Vir Perillustris, DAN. NETTELBLADT b) merito exploserunt. Ceterum et *auditorii sacri*, plane, vt *consistorii*, frequens est apud veteres mentio, vt intelligatur iudicium, in quo Imperator ipse sit iudex; cuius quidem formulae exemplum exhibet non solum integer, qui exstat inter leges nouellas THEODOSII A. titulus c), sed inscriptio etiam apud GRVTERVMD) obuia, nec non CENSORINVS e), AVSONIVS f) et SYMMACHVS g). Translatum deinceps hoc cognomen ad alia inferiorum etiam iudicum iudicia h), modo eadem in his solennitates obseruarentur, quibus necessario esset defungendum coram supremo Principis tribunali: id quod e SCHOLIASTE IULIANI Antecessoris i) colligo,

cuius

x) ad d. l. 40. D. de reb. cred.

y) *Parerg.* Lib. II. c. 26.

z) n. 12. ad d. l. 40.

a) l. c. p. 321.

b) in *Contin. der Abhandlung von der Beschaffenheit des mündlichen Unterrichts in der Rechtsgelahrtheit zu den Zeiten der alten Römischen Rechtsgelehrten*, §. 17. inserta den *Hallschen Beyträgen zu der iuristischen Gelehrten-Historie*, Tom. III. Vol. X. p. 219. sq.

c) Lib. I. tit. 23. de *tribus fiscalibus*, et de *sacro auditorio*, et de *ceteris negotiis*. Alia exempla legum, in quibus occur-

rit *sacrum auditorium*, larga manu suppeditat BRISSONIVS l. c. v. *auditorium*.

d) *Corp. Inscr.* p. CCCXXXIII. 2.

e) de *die nar.* c. 15.

f) in *grar. act. ad Gratianum Imp.* p. 720. ed. TOLL.

g) Lib. VIII. ep. 17.

h) v. g. l. 67. Cod. Th. de *appellat.* (Lib. XI. tit. 30.) vbi tamen, quatenus Praefecto Praetorio *sacrum* tribuitur *auditorium*, eadem subest, quae in *Principum auditorio*, ratio, quia neutrum ab altero fuit diuersum, vt infra docebimus.

i) ad *Constit.* XVII. c. 63.



cuius haec sunt verba: *auditorium sacrum dicebatur, ubi formalibus verbis causae allegabantur, et vestem induebant, qualem in Palatio, et veluti campacos, et sic ingrediebantur omnes ad eos.*

## §. 3.

*De aliis Consistorii Principum nominibus.*

Praeter nomina *Consistorii* et *auditorii* occurrunt in illorum temporum monumentis permulta alia augusti huius collegii elogia, quae quidem omnia, quam magnifice et Imperatores ipsi, et homines illius aetatis de eo senserint, fatis declarant. Ita Imperatores HONORIVS et THEODOSIVS suggestionem ad vnius litigatoris querimoniam offerri vetant  *suis altaribus a*), quae recte interpretatus est CHRIST. VDALR. GRYPEN *b*) confessum in Consistorio, quum non diuinitatis solum tituli iam dudum a Principibus essent vindicati, sed memores etiam essent veteris consuetudinis, qua arae in secretariis ac pro tribunalibus iudicum positae fuerant, ut ad iudices, tanquam ad deos, adiretur *c*). Paullo remissius Imp. DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS *d*), VALENTINIANVS, THEODOSIVS et ARCADIVS *e*), nec non HONORIVS et THEODOSIVS *f*) *sacri comitatus*; THEODOSIVS autem, ARCADIVS et HONORIVS *iudicii principalis g*)

B 2

faciunt

*a*) L. 6. Cod. Th. *de relar.* (Lib. XI. tit. 29.) cf. L. 7. Cod. Th. *de locat. fundi iur. emphyt.* (Lib. X. tit. 3.)

*b*) in *Obfl. de forma consuecendi acta apud Rom. et de forma testamentorum iudicialium et priuatorum in seripris* (Hanou. 1753. 4.) *Obf. 2. §. 2. p. 89.*

*c*) LACTANTIUS *de morr. persequut.*

*c. 15. cf. THOM. WAGNER Diss. de aris in curiis et pro tribunali apud Romanas positis, (Lipf. 1732.) §. 9. p. 22. sqq.*

*d*) L. I. C. *de his, qui per mer. iud.*

*e*) L. 47. Cod. Th. *de appell.*

*f*) L. 66. *cod.*

*g*) L. 55. *cod.*





faciunt mentionem, quod etiam intelligunt sub *Romano collegio* TREBELLIVS POLLIO *h*), sub *secretario* LACTANTIUS *i*), et sub *sacratio* AVSONIVS *k*). Et haec quidem de variis, quibus Consistorium Principis laudatur, nominibus sufficiat monuisse.

## CAPVT II.

### HISTORIA CONSISTORII PRINCIPVM ET AVDITORII SACRI.

#### §. I.

*Recensentur difficultates in scribenda Consistorii Principum historia obuiae, et, quantum licuit, remouentur.*

Nulla res magis veritati nocuit, quam quod magnus virorum doctorum numerus, qui nihil ratum pensumque habet, nisi quod ex ipsis antiquitatis quasi tenebris in lucem protrahi possit, multorum institutorum originem aetati tribueret nimis remotae, et rem ipsam ibi quaereret, vbi umbra tantum et similitudo quaedam appareret. Id ipsum etiam Consistorio nostro accidisse animaduerti, cuius quidem origo et vicissitudines tantum abest, vt haecenus virorum doctorum opera erutae fuerint et explicatae, vt potius innumeris difficultatibus ex ipsa opinionum et coniecturarum varietate oriundis misere laborent. Quumque mihi hoc sumserim, vt ex ipsis magis fontibus, quid verum esset, explorarem,

*h*) in *Macriano*, vbi v. SALMASIVS. CLAVD. SALMASII *Diff. de secretariis*, in  
*i*) l. c. cf. IAC. DE LA LANDE *Diff. Thef. SALLENGRIANO*, T. II. p. 665. sq.  
*de ingressu in secretaria iudicum*, c. 2. in *k*) in *grar. act. ad Gratianum Imp.*  
*Thef. MEERMANN*. T. III. p. 453. et c. 29. p. 727. ed. TOLL.



plorarem, quam recentiorum scriptorum auctoritatem sequeretur: causas difficultatum, quae historiam Consistorii Principum potissimum premunt, visus mihi sum inuenire partim in eo, quod iam antiquiore aetate Imperatoribus statum adfuisse certumque consilium, de cuius sententia res tam publicas, quam priuatas, perpetuo iudicarent, multi sibi persuadeant; partim in ipsa iurisdictionis, qualis fuit sub Caesaribus, indole, vtramque quidem in cognoscenda Consistorii principalis historia paginam constituyente, sed pessime a plerisque intellecta; ut taceam alia impedimenta, quae tum e diuersitate finis, ob quem Imperatores consiliarios vel publicis vel priuatis causis cognoscendis adhibuerunt, non satis obseruata, tum ex antiqua Comitum ratione ad Consistorianos male accommodata prouenerunt. Ac primo quidem errori ut obuoniam, antequam in ipsam Consistorii Principalis originem inquiram, demonstrandum erit ante omnia, Imperatores saltem primos non habuisse certum statumque locum, in quo iuri dicundo vacarent, multo minus consilium huic loco addictum, et adfessores perpetuos, quales vulgo sub Consistorianis intelligunt. Sequar in hoc argumento PERIZONIVM a), quo nemo rem accuratius explicasse videtur. Ac primum quidem, licet SVETONIVS b) AVGVSTVM memoriae prodatur assidue ius dixisse, videtur tamen hoc magis de tempore Consulatus, quam de perpetua eius consuetudine esse accipiendum; quum ipse, referente paulo post EODEM, appellaciones quotannis, urbanorum quidem litigatorum praefecto delegauerit urbis, at prouincialium, consularibus viris, quos singulos cuiusque prouinciae negotiis praeposuisset, magnaue adeo iurisdictionis

B 3

nis

a) l. c. Diff. II. §. 27. sqq. p. 186. sqq.

b) in v. Augusti, c. 33.



nis parte sponte se abdicauerit. Militum autem causas cognoscebat Praefectus Praetorio, ita ut, si quando hic capite damnauisset reum, sententiae tantum a Caesare esset subscribendum c). Seruasse eandem consuetudinem sequentes etiam Imperatores, neque peculiare quasi negotium in iurisdictione exercenda possuisse, neminem latere potest, qui illius temporis monimenta paullo diligentius est perscrutatus; nihilominus factum est saepius, ut ipsi etiam Imperatores ius dicerent, plerumque tamen non tanquam Imperatores, verum ut Consules, seu tunc maxime, quum consules essent: id quod e serie aliquot SVETONII locorum d) belle probauit PERIZONIVS e). Et tunc profecto non alio uti potuerunt loco, quam *tribunali* vel *foro*, utpote quod solenne esset Praetoribus, et, qui his in iurisdictione exercenda, occupata republica, successerunt, Consulibus. Hinc SVETONIVS de AVGVSTO f): *ipse ius dixit assidue, si parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans*; et de DOMITIANO g): *in foro pro tribunali rescidisse dicitur sententias ambitiosas Centumuirorum*; nemo autem clarius DIONE CASSIO h), qui de CLAVDIO haec habet: καθ' ἐκάστην γὰρ ὡς εἰπεῖν, ἡμέραν, ἤτοι γὰρ μετὰ πάσης τῆς γερουσίας, ἢ καὶ ἰδίᾳ, τὸ μὲν πλεῖστον ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἤδη δὲ καὶ ἄλλοθι, ἐπὶ βήματος, ἐδίκαζε. Negari tamen non potest, interdum etiam, et, si malis, frequenter Imperatores in domo sua vel Palatio causas extra ordinem, sine ullo magistratus iure, cognouisse; et tunc profecto consiliarios

eos

c) Exempla praesto sunt apud SENE-  
CAM de Clem. Lib. II. c. I. SVETONIVM  
v. Calig. c. 29. Ner. c. 10.

d) in Nerone c. 14. et Claud. c. 14.  
cf. locus e v. Aug. quem supra citauimus.

e) in Diff. cit. §. 28. p. 189.

f) l. c. c. 33.

g) in v. Domit. c. 8.

h) Lib. LX. c. 4.



eos adhibuisse suos, de quorum origine statim sermo erit, probabile videtur: modo ne, vel necessarios hos Imperatori, vel ipsum iurisdictionis Caesareae exercitium ad certum in Palatio locum, qualem posteri dixerunt *auditorium*, ab initio adstrictum fuisse, contendamus. Quarum cognitionum extra ordinem in quacunque palatii parte ab Imperatoribus institutarum exempla satis multa quum congesserit PERIZONIVS *l)*: possum ego singulis recensendis supersedere, et progredi statim ad alterum, quod obflare animaduerti historicae de consilio Imperatorio disquisitioni, impedimentum, in male intellecta a multis iurisdictionis sub Caesaribus indole positum. Debemus vero immortalis IO. AVG. ERNESTIO *k)* inter innumera, quibus litteras auxit, beneficia etiam hoc, ut saniora nos de iurisdictionis, qualis sub Caesaribus obtinuit, natura docuerit; vnde meo profecto defunctus mihi videor officio, qui his, quae tantus auctor obseruauit, meam in rem vsus sim. Duplex igitur, occupata republica, occurrit iurisdictionis notio: primum, vetus illa, quae libertatis tempore iam in vsu fuerat, qua intelligitur potestas magistratibus propria, causas priuatas cognoscendi, easque decidendi; deinde noua, quae ad Imperatores iure singulari pertinet. Quia enim IULIVS CAESAR, AVGVSTVS et successores pristinam magistratibus reliquerunt iuris dicundi potestatem, non potuere ad eos pertinere aliae causae, quam, quas vel ipsi tanquam magistratus, v. c. in Consulatu, cognoscerent, vel in quibus a magistratibus ordinariis ad eos esset prouocatum. Atque eiusmodi lites dicebantur esse *iuris ordinarii*, ac propriam Caesarum *iurisdictionem* constituere, a qua diuersae

*l)* *Diff. cit.* §. 29. p. 193. 199.

*k)* in *Exc. II. ad SVET. Caes.* c. 43.



diuerſae omnino erant *cognitiones*, utpote quae, licet ſuos magiſtratus haberent, extra ordinem ſtatim ab Imperatoribus in cauſſis tam publicis, quam priuatis exercebantur, et propterea *extraordinarii iuris* eſſe cenſebantur. Sequiori vero aeuo imminuta ſenſim magiſtratum poteſtate, frequentiores factae ſunt Caesarum cognitiones, ut nulla cogitari poſſet lis, quae non vel per modum pro-  
 uocationis, vel extraordinariae cognitionis nomine ad Imperatorum iuriſdictionem pertineret.

§. 2.

*Vestigia conſilii Imperatorii ſub Auguſto obuia.*

At, audio exclamare multos, quorum haec omnia, quum nondum explicatum ſit, quae negotiorum genera ad Conſiſtorium Principis vere ſpectauerint? Nempe huc, ut ne quis lectorum ſub primis iam Imperatoribus exſpectet perpetuum aliquod et certo loco addictum conſilium, vel differentem me de comitibus et adſeſſoribus, ab AVGVSTO eiusque ſucceſſoribus ad ipſam etiam iuriſdictionem exercendam electis, male intelligat. Nunc in originem noſtri collegii inquiramus. Sunt a), qui, iam IVLIO CAESARI aduiſſe in conſilio ICTOS eius aeui praefantiffimos, probare velint e loco POMPONII b), quo tamen nollem ego hic uti; quum fermo ibi ſit de ſolo AVLO OFILIO, qui CAESARI dicitur fuiſſe familiariffimus. Certiora nouimus de AVGVSTI imperio, ad quem proinde multi, in quibus nominari ſufficiat GRAVINAM c), IO. AVG.

a) v. g. ROLLE, V. C. in *Diff.* ſupra cit. p. 16.

c) de *Rom. Imp.* c. 17. in *EL. Opp.* p. 495. ed. MASCOV.

b) L. 2. §. 44. D. de O. I.



AVG. BACHIVM *d*) et THOM. BEVERIVM *e*) Consistorii ipsius originem, nescio an iure suo, retulerunt. Praeterea enim, quod AVGVSTVS (quae res est inter omnes notissima, et ex multorum sententia locum fecit consilii imperatorii institutioni) vsu codicillorum non ante approbavit, quam ICtorum prius celeberrimorum de iis sententias explorasset *f*): constat etiam e DIONE CASSIO *g*), tantopere eum fuisse libertatis studiosum, vt non omnia proprio consilio egerit, sed multa publice deliberanda proposuerit, et libenter se ab omnibus, praesertim vero a Consulibus, aut, si ipse Consulatam gereret, a collega, corrigi passus fuerit: quibus addit DIO: καὶ τῶν ἄλλων ἀρχόντων ἓνα παρ' ἐκάστων, ἕκ τε τοῦ λοιποῦ τῶν βουλευτῶν πλῆθους, πεντεκαίδεκα τοὺς κλήρω λαχόντας, συμβούλους ἐς ἑξάμηνον παρελάμβανεν. Patet igitur, AVGVSTVM ex reliquis magistratibus praeter Consules, singulos, ex senatoribus vero quindecim, forte delegisse, qui per semestre sibi essent a consiliis: quod confirmat SVETONIVS *h*): sibi — instituit consilia sortiri semestria, cum quibus de negotiis, ad frequentem senatum referendis, ante tractaret. Ingrauescente autem aetate, vt alio loco DIO *i*) narrat, quum

*d*) *Histor. iurisp. Rom.* L. III. Cap. I. Sect. I. §. 27.

*e*) in libro anglie scripto, qui germanice prodiit hoc titulo: *Geschichte des Römischen Staats und des Römischen Rechts, a. d. Engl. übers. und mit Anmerkungen begleitet von L. VÖLKE* (Lipf. 1787. 8.), L. III. c. 7. p. 273.

*f*) pr. I. de codicill. cf. RAD. FORNERIVS *rer. quorid.* L. III. c. 10. in *Thef.* OTTON. T. II. p. 236. CORN. VAN ECK

*Or. de vita, moribus et studiis M. Augustii Labeonis et C. Ateii Capitonis*, in GER. OELRICHS *Thef. nouo Dissert. Belgic.* Vol. I. T. II. p. 837. et IO. DID. VAN LEEVWEN *Diss. II. de iuris studiosis*, c. I. §. I. in eadem *Collect.* Vol. II. T. I. p. 386.

*g*) Lib. LIII. c. 21.

*h*) in *v. Augusti* c. 35.

*i*) Lib. LVI. c. 28.



quum senatui interesse ipse rarissime posset, sub initium quinti decennii viginti petiit e senatoribus consiliarios, eosque annuos, quum semestres antea fuissent: καὶ συμβούλους, ὑπὸ τοῦ γήρατος, (ὅφ' οὐπερ οὐδὲ ἐς τὸ βουλευτήριον ἔτι, πλὴν σπασιώτατα, συνεφοίτα) εἰκοσὶ ἑτησίους ἤτήσατο. Præterea γὰρ κατ' ἕκτον μῆνα πεντεκαίδεκα προσ-  
 ἐτίθετο. Habemus itaque iam sub AVGVSTO consiliarios, συμ-  
 βούλους, sed minime eo sensu, quo postea in Consistorio vel Au-  
 ditorio Principum inueniemus: quare, quo potissimum sine  
 AVGVSTVS sibi eos adsciuerit, age, dispiciamus. Hunc quidem  
 triplicem fuisse, indicat rursus ipse DIO k): primum, vt per consi-  
 lium suum etiam reliquis omnibus ea, quae statueret, commu-  
 nicaret: ὥστε δὲ αὐτῶν καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσι κοινοῦσθαι τρέποντινὰ  
 τὰ νομοθετούμενα νομίζεσθαι, deinde, vt per otium deliberaret cum  
 paucis de rebus plurimis et grauiissimis, quae in senatu tractari  
 commode non possent: ἐσέφερε μὲν γὰρ τινα καὶ ἐς πᾶσαν τὴν γερου-  
 σίαν, βέλτιον μὲντοι νομίζαν εἶναι, μετ' ὀλίγων κατ' ἡσυχίαν τάτε  
 πλείω καὶ τὰ μείζω προσκοπέσθαι: denique, vt iudicii etiam in-  
 terdum, si vellet, eisdem adhiberet: καὶ ἔστ' ὅτε καὶ ἐδίκαζε μετ'  
 αὐτῶν, quibus addere potes quartam, quam e SVETONIO didici-  
 mus, caussam, vt cum iis de negotiis ad frequentem senatum  
 referendis ante tractaret. Fuit igitur hoc consilium confessus  
 magis priuatus, qui Imperatorem in cura reipublicae adiuuaret,  
 quam publicus, qui ad ipsum senatum accederet: neque huius  
 auctoritati quidquam per illud detractum, quia rebus vel ad se-  
 natum frequentem referendis, vel iis certe, quae in ipso senatu  
 commode absolui non possent, inseruiret, quamquam plerum-  
 que

k) Lib. LIII. c. 21.



que publicis negotiis, rarius priuatorum litibus, consiliiarii ab AVGVSTO adhiberentur. Quid vero? Nonne, ipso DIONE <sup>l</sup>) teste, ex SCTo, A. V. C. DCCLXVI. condito, consilii huius potestas adeo aucta est, et senatoriae plane equiparata, vt, quaecunque AVGVSTVS cum eo constituisset, non minus rata declararentur, quam si in curia statuta fuissent? Nonne igitur et publicum fuit collegium, et senatu omnino superius? Concedo, si de paruo temporis spatio, quo AVGVSTVS post illud SCTum adhuc imperauit, rem intelligas, et semper causam auctae huius potestatis; senectutem puta Imperatoris, quae impedimento esset, quo minus senatui interesse ipse posset, ante oculos habeas. Certe nec ante hoc SCTum, nec post AVGVSTI imperium tantam consilio imperatorio auctoritatem a senatu fuisse relictam, credibile est <sup>m</sup>). Ceterum hac occasione prima legitur temporis *semestris* <sup>n</sup>), ad quod singuli adfessores sunt delecti, mentio, quod quidem diu in consilio Imperatorum obtinuit, et suo loco diligentius a nobis explicabitur. Videntur autem AVGVSTVM, vt tale sibi consilium, quale modo descripsimus, sumeret, mouisse plures causae, in quibus haud vltimum locum obtinuit haec, vt posset pro lubitu et sine inuidia innouare, quaecunque sibi viderentur necessaria, quum facilius esset, paucorum, quos praeterea beneficiis sibi deuinxisset, sententias sibi conciliare, quam multitudinem flectere,

C 2 Quam

et potentia superasse, contendit. Neque vero, quid ex abusu factum sit, sed quid fieri debuerit, curamus.

<sup>n</sup>) Quod citra causam offendit IO. FILLEAV l. c. 4. in *Thef.* MEERMANN.

T. I. p. 341.

<sup>l</sup>) Lib. LVI. c. 28.

<sup>m</sup>) Dissentit, sed absque ratione, LENAIN DE TILLEMONT *Histoire des Empereurs*, (à Bruxelles, 1707. sqq. 8.) T. I. P. I. pag. 68. qui, etiam successorum AVGVSTI consiliiarios senatum dignitate





Quam ob causam suspicor etiam fuisse inter senatores, ab AVGVSTO in consilium adlectos, plurimos ICTOS, quos constat ab eo facultatem de iure respondendi beneficii nomine accepisse, ut tanquam instrumenta potentiae stabiliendae inferirent o). Diuersi ab his consiliariis fuerunt, qui sine dubio et ab AVGVSTO adhibiti sunt, amici eius et comites p), quorum indolem optime explicauerunt IOSEPHVS AVERANIVS q), IO. AVG. ERNESTI r) et MICH. CONR. CVRTIVS s). AVGVSTO quidem iam adfuisse comites et amicos, colligere mihi videor e verbis SVETONII t), qui de TIBERIO loquitur, quasi hic comites successione iure a vitrico accepisset: *pecuniae parcus ac tenax, comites peregrinationum expeditionumque nunquam salario, cibariis tantum sustentavit: una modo liberalitate, ex indulgentia vitrici, prosequutus, quum, tribus classibus factis, pro dignitate cuiusque, primae sexcenta sestertia, secundae quadringenta distribuit, ducenta tertiae, quam non amicorum, sed gratorum, appellabat.* Quod confirmat SE-NECA v), quando AVGVSTVM totam cohortam primae admissionis ex

o) Simile quid in mentem venisse animaduerti PET. NIC. ARNTZENIO in *Diss. de Masurio Sabino*, c. 6. §. I. in OELRICHS *Thef. nou. Dissert. Belgic.* Vol. III. T. II. p. 46. Clarius autem hoc AVGVSTI consilium explicat IO. GOTTL. HEINECCIUS *Aniquit. Rom. iurisp. il. Instr.* Lib. I. Tit. II. §. 39.

p) Confundit tamen vtrumque hominum genus temere, ut solet, THOR-SCHMIDIVS in *Diss. Historia Com. Confistor.* §. I. p. 5.

q) *Interpret. iur.* Lib. III. c. I — 3. p. m. 1 — 60.

r) *Exc. XV. ad SVETONII Tiber.* c. 46.

s) *Comment. de Senatu Romano post tempora reipublicae liberae*, (Hal. 1768. 8.) L. III. c. 8. p. 182 — 188.

t) in *Tiber.* c. 46.

v) de *Clement. L. I. c. 10.*



*aduersariorum castris conscripisse* tradit. De origine et indole huius hominum generis, qui modo *Amici*, modo *Comites* Imperatorum dicuntur, quum non vna sit omnium sententia: eam solummodo proferam, quae veritati proxime accedere videtur. Fuerunt igitur iam libera republica *comites* potissimum *magistratum prouincialium*, dupliciter dicti: primum ii, qui cohortem praetoriam constituerent, praefecti, medici, scribae, accensi, haruspices, praecones et alii in prouinciam ituro necessarii. Ab his comites Imperatorum originem certe non duxerunt. Altera comitum classis, qua intelligebantur amici, propinqui, philosophi, grammatici, qui cum magistratu in prouinciam proficiscebantur, vt cum eo habitarent, coenarent et otium eius fallerent, tanto maiori iure videtur locum fecisse comitibus Imperatorum, quo certius est, priuatos quoque viros, nobiles et locupletes, tales homines aluisse, et peregrinantes secum in comitatu duxisse x). Fuit vero inter ipsos amicos principum et comites hoc discriminis, vt amici potiores essent comitibus, et interioris admissionis; comites inferioris auctoritatis censerentur, nec Imperatoris familiaritate gauderent: quare omnes quidem amici comites, non item omnes comites amici fuerunt y). Saepe proinde vnus idemque homo *amicus et comes principis* apud veteres dicitur, cuius elogii exemplum suppeditat lapis apud GRVTERVM z):

C 3

C.

x) v. omnino de hac re ERNESTI l. c. quem sequutus sum.

y) Primus inuictis argumentis hoc probauit CVRTIVS l. c. p. 183. sq. quum

paullo negligentius rem tractassent IS. CASAVBONVS et CLAVD. SALMASIVS ad SPARTIANI Hadr. c. 18.

z) Corp. Inscriptr. p. MC. n. 5.





C. SENTIO  
SEVERO  
Q V A D R A T O  
C. V. COS  
AMICO. ET  
COMIT. AVG. N  
I V L I. F R A T R E S  
MAXIMVS. ET  
VICTOR

Vnde simul patet, non fuisse nomen *amici Principis* communem loquendi modum, eo sensu, quo amicus etiam de priuatorum hominum familiaribus dicitur, imo peculiarem fuisse et separatam a reliquis dignitatem amicorum Principis; qualis probari potest praeterea ex eo, quod fuit in domo Augusta officium singulare, *cura amicorum*, qua fungebantur, vt plurimum, liberti. Ita GRVTERVS a):

D. M  
LIBERTORVM  
T. FLAVI. AVG. LIB  
VICTORIS  
A CVRA. AMICORVM  
et statim b):

D I S. M A N I B V S  
LIBANO. AVG. LIB  
A CVRA  
A M I C O R V M. V I X  
ANN. XXXIX

a) l. c. p. DXCVIII. n. 1.

b) *ibid.* n. 2.



vt taceam plures inscriptiones, quae idem officium exhibent c).  
 Vt autem aliquando e diuerticulo in viam redeam, AVGVSTVM  
 certe noadum puto vsum fuisse amicis et comitibus suis, tanquam  
 consiliariis, de quorum sententia negotia publica et causas priua-  
 torum regeret: imo habuisse tantum in comitatu suo tales viros,  
 quorum consuetudine otium suauiter falleret: aucta vero comi-  
 tum et amicorum potestate, sub eius successore demum consiliis  
 principalibus eosdem coeptos esse adhiberi.

## §. 3.

*De Tiberii consiliariis et comitibus exponitur.*

TIBERIVS successit AVGVSTO, κάνονα τῆς διοικήσεως καὶ τῶν προ-  
 ταγμάτων ποιούμενος ἐκείνῳ a), quare nec circa consilium ab AV-  
 GVSTO adsumtum (intelligo autem antiquius collegium, non illud,  
 quod extremis AVGVSTI diebus senatus loco fuerat) ab initio  
 mutasse quidquam videtur. Confirmat id DIO CASSIVS b): αὐτὸς  
 μὲν καθ' ἑαυτὸν ἢ τι ἢ οὐδὲν ἔπραττε, πάντα δὲ δὴ καὶ τὰ μικρότατα  
 ἕς τε τὴν γερουσίαν ἐσέφερε, καὶ ἐκείνῳ ἐκρίνου. Ἐπεπτόητο μὲν γὰρ  
 βῆμα ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἐφ' οὗ προκατίζων ἐχρημάτιζε, καὶ συμβούλους αἰεὶ,  
 κατὰ τὸν Αὐγούστον, παρελάμβανεν. Discimus ex hoc loco, frequen-  
 tius certe AVGVSTO TIBERIVM consiliarios suos ipsis etiam iudicii  
 admouisse, neque quidquam omnino, sub auspiciis certe imperii,  
 suo arbitrio suscepisse. Quemadmodum autem mox, Germanici  
 morte comperta, omnem mansuetudinem, qua prius se commen-  
 dauerat, deposuit: ita hoc quoque superbiae argumentum dedit,  
 vt

c) *ibid.* n. 3. et 4. Plura argumenta fin. cf. TACITVS *Annal.* Lib. III. c.  
 exhibet CVRIVS *l. c.* p. 185. 37.

a) Hoc STRABONIS iudicium Lib. VI. b) Lib. LVII. c. 7.



vt pristinam consilii formam, qualem AVGVSTVS inuēerat, mutaret, et, SVETONIO c) teste, *super veteres amicos et familiares, viginti sibi e numero principum ciuitatis deposceret, velut consiliarios in negotiis publicis*: vnde colligo, primum a TIBERIO amicos etiam Principis fuisse publicorum negotiorum curae adhibitos, quale quid suspicatus est iam ERNESTI d), refragante licet CVRTIO e), qui demum sub HADRIANO amicis Principum et comitibus indultum hoc putat fuisse, vt consiliis publicis se immiscerent. Et eorum quidem, qui huic consilio interfuerunt, vix duo vel tres, vt SVETONIVS confirmat, incolumes euaserunt, plurimi trucidati, inter quos SEIANVS, quem ad summorum antea honorum fastigium Imperator prouexerat. Quare et mandatorum secretorum (quae cum famosissimis dominationis Francicae instrumentis, *lettres de cachet* dictis, quodammodo comparaueris) vsus sub TIBERIO frequens, quibus conficiendis neminem certe, nisi qui interioris essent admissionis, adhibere potuit f). Quatenus autem intelligendum sit illud, quod supra vidimus, *tres scilicet fecisse TIBERIVM comitum classes*, pro diuersa stipendiorum, quae ipsis distribueret, ratione: multum disputatum est a viris doctis. Ac quamquam concesserim ego ERNESTIO, sub comitibus in loco SVETONII saepius laudato non intelligi cohortem Principis vrbanam et aulicam, sed eos tantum, qui peregrinationibus et expeditionibus adhiberentur, quod duplex genus non satis sollicitè distinxit LIPSIUS g): nollent tamen

c) in *Tib.* c. 55.

d) *l. c.*

e) *l. c.* pag. 186.

f) v. IAC. GOTHOFREDVS ad L. VI. Cod. Theod. de *mandatis Princ.* (Lib. I.

tit. 3.) CHRIST. GOTTE. HOFFMANNI *Hist. Iur. Rom. Inst.* L. I. c. 1. per. 5. sect. 3. §. 3. not. c. p. 403. sq. ed. nouiss.

g) ad TACITI *Annal.* Lib. VI. c. 9.



tamen hanc ob causam aulicum illum comitatum excludere a distinctione per TIBERIVM facta, quum non solum ipse vir immortalis negare non possit, ex amicis vrbanis comites peregrinationum esse lectos: sed AVGVSTVS iamiam, si SENECAM *h*) audiamus, simile discrimen inter amicos primae admissiois et reliquos fecisse videatur. Puto autem distinctionem comitum in tres classes, qualem TIBERIVS fecit, perpetuo fuisse seruata, et a sequentibus Principibus magis tantum determinatam ac stabilitam, quamquam non ignorem, VIRIS summis, IAC. CVIACIO *i*), GVID. PANCIROLO *k*), IAC. GOTHOFREDO *l*), et ERNESTIO *m*) alia omnia placere, et, EVSEBIO *n*) duce, CONSTANTINVM M. primum ab iis statui trium, qui inter comites fuerunt, ordinum auctorem. Etenim, quo magis equidem in sententiam IO. SELDENI *o*), SALMASTII *p*), FRID. BRVMMERI *q*) et CVRTII *r*) discedam, et CONSTANTINVM M. tres comitum ordines non primum inuenisse, sed a maioribus iam acceptos in tot diuersas dignitates rede gisse credam, mouent me non solum bina SENECAE loca *s*) et TIBERII institutum, (quod nollem dicere singulare, et pecunia distributa cessauisse) sed constans etiam ac perpetua distinctarum sub

- ALEXAN-
- h*) de clemencia L. I. c. 10.  
*i*) ad L. vn. C. de comitibus et tribb. schol.  
*k*) Thef. Var. Lectr. Lib. I. c. 88.  
*l*) ad L. I. Cod. Th. de comitibus et tribb. schol. (Lib. VI. tit. 13.)  
*m*) Exc. XV. ad SVETONII Tiber. c. 46.  
*n*) in v. Constantini M. Lib. III. c. 1.  
*o*) ad Marm. Oxon. p. 196. ed. quae prodiit Lond. 1732.  
*p*) ad SPARTIANI Hadrian. c. 18. maxime vero ad TREBELLII POLLIONIS Macrianum.  
*q*) Ex. de Scabinis, c. 2. §. 13. in BRVMMERIANIS p. 284.  
*r*) l. c. p. 186. sq.  
*s*) de clement. Lib. I. c. 10. et de benefic. Lib. VI. c. 33. 34.

D





ALEXANDRO SEVERO trium classium mentio, quam seruat LAMPRIDIVS *t*): *Moderationis tantae fuit, ut — amicos non solum primi ac secundi loci, sed etiam inferiores aegrotantes viseret: ut taceam argumenta, ex ipsa EVSEBII serie a SALMASIO et CVRTIO affatim allata.*

§. 4.  
*De sequentium Imperatorum, qui ante Hadrianum regnaverunt, consiliariis.*

Quo felicior lux affulserat iis, qui AVGVSTO et TIBERIO fuerant a consiliis, tanto peior fors mansit eisdem sub CALIGVLA, quem neminem prorsus rerum vel publicarum vel priuatarum administrationi adhibuisse, probabile est. Neque enim aliud sibi vult vox illa tyranno dignissima, qua, SVETONIO *a*) teste, vsus est, quum de iurisconsultis, quasi scientiae eorum omnem vsum aboliturus, iactaret: *se, me hercle, effecturum, ne qui respondere possent, praeter eum.* Quae verba magnopere vexauerunt interpretes, in primis propter vsum vocabuli *eum*, pro *se*, qui multis barbarus visus est; quare ingeniose satis reposuit IANVS RVTGERSIVS *b*): *praeter reum*, paullo durius GER. VAN WESEL *c*): *praeter meum*. Sed saluus est SVETONIVS, modo memineris, multa occurrere apud veteres exempla, quae *eum* pro *se* positum excusent, et HENR. DODWELLVM *d*) audias, qui ita interpretatur: id se effecturum, vt ne Imperatorum quidem nomine responderent ICTi, sed vt foli de iure consulenter Imperatores,

*t*) in v. *Alexandri Severi* c. 20.

*a*) in *Calig.* c. 34.

*b*) *Var. Lectr.* Lib. III. c. 6.

*c*) *Diss. de sanctitae iudiciorum ab Imperatoribus Romanis parum restituta, par-*

*rim labefactata*, §. 3. in OELRICHS *Thef. nouo Dissert. Belgic.* Vol. II. T. I. p. 278.

*d*) *Praelectr. Camd.n. Praelect. VIII.* §. 14.



peratores, et proprio etiam nomine atque auctoritate consulti responderent: quam quidem explicationem ERNESTI e) ipse, loco e PHILONE f) petito, adiuuit. CLAVDIVM renouasse morem, a TIBERIO, postquam in insulam secesserat, intermissum, habendi consiliarios, didici e DIONE CASSIO g): καὶ γὰρ τὸ κατὰ τοὺς συνέδρους ἐκλειφθῆναι, ἐξ οὗ ὁ Τιβέριος εἰς τὴν νῆσον ἐξεχώρησεν, ἀνενώσατο. Non maguus tamen eorum potuit esse vsus, quum Imperator sex libertis additus, non principem, sed ministrum egerit, et compendio cuiusque horum, vel etiam studio ac libidine, honores, exercitus, immunitates, supplicia largitus sit h), et omnino perniciosum hunc gregem et sibi et legibus adaequauerit i). Vnus certe ex iis, NARCISSVS, si SVETONIO k) fides est habenda, CLAVDIO fuit ab epistolis: quale officium et in sequiorum Imperatorum Consistorio occurrere notum est. NERONEM legimus l), quoties ad consultandum secederet, neque in commune quidquam, neque propalam deliberasse, sed et conscriptas ab unoquoque sententias tacitum ac secreto legentem, quod sibi libuisset, perinde atque pluribus idem videretur, pronunciaffe: quem locum recte de consiliariis, quibuscum in cognoscendo in consilium iret Imperator, ERNESTI accipit. Non igitur, vt eos palam consuleret, aut dicere sententiam in commune iuberet, vt alii fecerant Principes, sed vt scriptas sibi offerrent sententias, et ipse, quod sibi, non quod adsefforibus videretur, pronunciarer, secessit. Inuenio etiam inter comites NERONIS, sed peregrinationis tantum caussa, fuisse VESPASIANVM m), MOX vero contubernio prohibitum in paruum

D 2

ciui-

e) ad SVETONII l. c.

f) Legar. ad Caium, p. 1009.

g) L. LX. c. 4.

h) teste SVETONIO in v. Claudii c. 29.

i) Ita TACITVS Annal. Lib. XII. c. 60.

k) ibid. c. 28.

l) apud SVETON. Neron. c. 15.

m) teste EODEM in Vespas. c. 4.



ciuitatem secessisse. GALBAE, OTHONIS et VITELLII nimis breue et tumultuarium fuit imperium, quam quod insignia comitum consiliariorumque vestigia posset exhibere. De GALBA certe SVETONIVS n): *nihil non per comites atque libertos pretio addici, aut donari gratia passus est*: de OTHONE IDEM o): *Neronis procuratores atque libertos ad eadem officia reuocauit*; et de VITELLIO TACITVS p): *omnis humani diuinique iuris expers, pari libertorum amicorumque socordia, velut inter temulentos, agebat*. Ac meminit IDEM q) *M. Cluuii Rusti, qui comitatu Caesaris VITELLII adiectus fuerat, licet rector esset prouinciae Hispaniae. Amicorum VESPASIANI bis apud SVETONIVM r) occurrit mentio; quamquam concesserim, non necessario eos, qui amicitia Principis, tanquam dignitate peculiari, fruerentur, ibi esse intelligendos. Hinc alius eiusdem scriptoris locus nostram rem propius tangere videtur, vbi de eodem Imperatore s): in principatu, ait, maturius semper ac de nocte euigilabat: deinde, perlectis epistolis, officiorumque omnium breuiariis, AMICOS admittebat; ac dum salutabatur, et calceabat ipse sese, et amiciebat: postque decisa, quaecumque obuenerent, NEGOTIA. Certiora de TITO prodit IDEM t): amicos elegit, quibus etiam post eum Principes, ut et sibi et reipublicae necessariis, acquieuerunt, praecipueque sunt usi: quare nec DOMITIANVM EOS neglexisse probabile, modo ne existimes, IUVENALEM v) tales comites in mente habuisse, quum de imperio DOMITIANI caneret:*

Si

n) in Galba c. 15. cf. TACIT. Hist. Lib. I. c. 7.

o) in Orh. c. 7.

p) *ibid.* Lib. II. c. 91.

q) *ibid.* c. 65.

r) in *Vespas.* c. 13. et 14.

s) *ibid.* c. 21.

t) in *Tir.* c. 7. Eodem loco vsus etiam est in historia comitum demonstranda AVERANIVS l. c. L. III. c. 2. p. 33.

v) *Sat.* VIII. v. 127. sqq.



*Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal  
Vendit Acersecomes, si nullum in coniuge crimen,  
Nec per conuentus, nec cuncta per oppida curuis  
Vnguibus ire paret numos raptura Celaeno.*

Sub TRAIANO reperi iterum consilii alicuius vel comitatus vestigia: HADRIANVM enim post quaesturam ad bellum Dacicum Traianum familiaris prosequutum esse, narrat SPARTIANVS x), vbi alii malunt: in familiaribus, quod eodem redire videtur. Quam laudabiliter autem amicis suis vsus fuerit, docet PLINIVS y): *neminem in vsu habes, nisi aut tibi, aut patri tuo, aut optimo cuique dilectum, statimque hos ipsos quotidie deinde ita formas, ut se non tua fortuna, sed sua metiantur: et tanto magis digni, quibus honor omnis praestetur a nobis, quia non est necesse.*

§. 5.

*De consiliariis Hadriani, et vera Consistorii Principum origine.*

Satis coniecturis indulgimus: ad certiora progredimur, quae praebet imperium HADRIANI. Quum enim Principes, qui ante hunc regnauerant, vix alio consilio, nisi priuato, quod penitus ab ipsorum nutu penderet, nec frequenter quidem, vsi fuerint (id, quod satis idoneis exemplis demonstrasse mihi videor): HADRIANVS primus publicum quasi, quodque secundum iuxta senatum locum obtineret, nec iuri solum dicendo causisue cognoscendis, sed constitutionibus etiam ferendis et reipublicae administrandae vacaret, consilium stabiliuit, formamque dedit perpetuam

D 3

tuam

x) in *Hadr.* c. 3.

y) in *Panegy.* c. 88.



tuam collegio, quod nullis antea legibus regebatur: quamquam ne tunc quidem peculiare *Auditorii*, multo minus *Confessorii* nomen consequutum esse videatur. Quam quidem sententiam vt argumentis confirmem probabilibus, afferam prius loca, quae consilii ab HADRIANO instituti mentionem faciunt: deinde, quomodo ex his ad innouatam senatus nostri indolem fit concludendum, docebo. Ac primum quidem SPARTIANVS a) de HADRIANO: *optimos quosque de senatu in contubernium imperatoriae maiestatis adsciuit: vbi contubernium recte explicatur a CASAVBONO per consilium ad de publicis rebus consultationes congregatum. MOX IDEM: erat enim tunc mos, ut, quum Princeps causas cognosceret, et senatores et equites Romanos in consilium vocaret, et sententiam ex omnium deliberatione proferret; et alibi b): quum iudicaret, in consilio habuit non amicos suos aut comites solum, sed iuriconsultos, et praecipue Iulium Celsum, Sabinum Iulianum, Neratium Priscum, aliosque, quos tamen senatus omnis probasset. Porro c): ab epistolis et a libellis primus equites Romanos habuit; et statim: causas Romae atque in prouinciis frequenter audiuit, adhibitis consilio suo consulibus, praetoribus et optimis senatoribus. Similiter DIO CASSIVS d): ἔπραττε δὲ καὶ διὰ τῆ βουλευτηρίας πάντα τὰ μεγάλα καὶ ἀναγκαῖα, καὶ ἐδικάζε μετὰ τῶν πρώτων, τότε μὲν ἐν τῷ παλατίῳ, τότε δὲ ἐν τῇ ἀγορᾷ, τῷ τε Πανθεῖῳ, καὶ ἄλλοθι πολλαχίδι, ἀπὸ βήματος, ὥστε δημοσιεύσθαι τὰ γινόμενα. Quibus si ex historia addideris causas, quae mouerunt HADRIANVM, vt tale sibi adsumeret consilium, perpetuas puta peregrinationes, quae, ne vel absens aliquid inconsulto senatu Romano facere videretur, *ambulatorium* certe (vt cum*

a) in *Hadr.* c. 8.b) *ibid.* c. 18.c) *ibid.* c. 22.d) *Lib.* LXVIII. c. 7.



cum REN. BOTTEREAV e) loquar) *senatum* exigebant; disces: *primum*, HADRIANVM legisse consiliarios ex senatu, ex equitibus et e ICTis. *Deinde*, non iudicandi solum, sed deliberandi quoque de rebus publicis causa adfessores adsumfisse: quod colligo e *contubernio imperatoriae maiestatis*. Porro, consilium imperatorium a senatu secundum quidem locum obtinuisse, quia adfessores eius ab hoc prius essent approbandi; at re vera omni potestate senatum exuisse, quia Principi esset loco senatus totius. *Denique*, non in vrbe solum, sed, vbicunque Imperator versaretur, *in provinciis etiam*, consiliarios ipsi adfuisse. Iam, si ab AVGVSTI senatu domestico quodammodo discesseris, ante HADRIANVM nullum inuenies Imperatorem, qui et *publica senatus auctoritate*, et in *caussis ad rem publicam spectantibus*, aequae ac *negotiis priuatorum*, et ita, vt *sui consilii potestas senatoria esset efficacior*, consiliariis sit vsus. Accedit, quod inde ab HADRIANI temporibus et constitutiones Principum coeperunt esse frequentiores, SCTa autem rariora; et seruata est, quod mox probabimus, ab omnibus fere eius successoribus consuetudo, consilium tale, quale HADRIANVS reliquerat, adhibendi; et AVRELIVS VICTOR f) ipse testatur, *eum officia publica et palatina, nec non militiae in eam formam statuisse, quae, paucis per Constantinum immutatis, suo tempore adhuc perseverauerit*; quae omnia efficere videntur, originem Consistorii Principum, quod sequiori aevo hoc nomen est sortitum, haud iniuria ab hac aetate deriuari. Superstunt quaedam, quae hac occasione necessario sunt monenda,

e) in *Hadriano Legislatore*, anno imp. 4. Diss. de imperii administrandi forma a Constantino M. recte atque sapienter murata, (Lipl. 1752.) §. 4. p. 16.

§. 4. in HOFFMANNI *Hist. iur.* Vol. II. P. II. p. 150.

f) *Epitom.* c. 14. cf. IO. ANDR. DIEZE



da, vt lector ea, quae sequentur, intelligat. Primum, inualuisse ab HADRIANI aevo POMPEIANI illud apud HERODIANVM g): ἐκείτῃ ἢ Ῥώμῃ, ὅπου ποτ' ἄν ὁ βασιλεὺς ᾖ, ubi Imperator, ibi Roma, quod perpetuis peregrinationibus occupatus Imperator plures ex senatus optimatibus ita in aulam transfuexisset, vt domesticum quasi senatum circa se haberet. Deinde animaduertas, coepisse quoque ab hoc tempore Praefectos Praetorio ciuilibus se immiscere negotiis, et consiliis adeo Imperatorum adhiberi, qui sequiori aevo ipsius Principis vices in eo tenuerunt. Quod quamquam disertis verbis a SPARTIANO non sit traditum, (quare etiam sub MARCO demum Praefectos Praetorio coeptos esse Consistorio admoueri, PANCIROLVS h) putat) tamen a Viro summo, IO. DAN. RITTERO i), satis probabiliter demonstratum est, partim ex eo, quod Praefecti Praetorio iam HADRIANI aetate essent in comitatu Principum, adeoque intelligerentur a SPARTIANO sub amicis et comitibus, quos in consilio Imperator habuit; partim etiam, quod POMPONIVS ICTUS k), qui HADRIANI et ANTONINI PII Impp. aetate vixerit, Praefectos Praetorio comparauerit cum Tribunis Celerum, quos ipse l) modo dixerat, secundum a regibus locum obtinuisse.

## §. 6.

De consiliariis successorum Hadriani ad Alexandrum usque  
Seuerum.

Institutum, vel, si malis, restauratum ab HADRIANO, vt supra vidimus, senatum domesticum omnes fere, qui in imperio ipsi  
suc-

g) Lib. I. c. 6.  
h) in *Comment. ad Notir. Dignit. Orient.* c. 5. in IO. GE. GRAEVII *Thef. Antiquit. Rom.* T. VII. p. 1351.  
i) in *Prol. Historia Praefecturae Prae-*

torianae ab origine dignitatis ad Constantinum M. (Viteb. 1745. 4.) c. 2. p. 14. sq.  
k) L. 2. §. 19. D. de O. I.  
l) d. L. 2. §. 15.



succefferunt, retinuisse, ex AVRELIO VICTORE iam probabile fecimus; quod potest singulis exemplis confirmari. De ANTONINO PIO locupletissimum habemus testem CAPITOLINVM a): multa de iure sanxit, vsusque est iuris peritis, Vinidio Vero, Saluio Valente, Volusio Metiano, Vlpio Marcello et Iaboleno: quem quidem locum non tam de his, qui arcanorum participes fiebant consiliorum, quam de adfessoribus, quorum officium absoluebatur cognitionibus, postulationibus, libellis, edictis, decretis et epistolis curandis, accipiendum esse, MEINARD. TYDEMAN b) recte demonstrauit. MARCVM AVRELIVM ANTONINVM et LVCIVM VERVM, quos notum est intelligi sub *Diuus fratribus* c), ab exemplo DIVI PII non recessisse, patet tam ex eo, quod et ipsi VOLVSIVM MAECIANVM ac SALVIVM IVLIANVM amicos appellant suos, seque causam aliquam dubiam his aliisque amicis suis, iuris peritis, adhibitis, plenius tractauisse profitentur d); quam quod in primis MARCVS semper cum optimatibus non solum bellicas res, sed etiam ciuiles, priusquam faceret aliquid, consulisse dicitur e). Cuius quidem consuetudinis et ipse egregiam attulit rationem: *aequius est, ut ego tot et talium amicorum consilium sequar, quam ut tot et tales amici meam viuis voluntatem sequantur* f): et plura

a) in v. Antonin. P. c. 12. cf. TILLEMONT *Histoire des Empereurs*, T. II. P. II. pag. 549.

b) *Diss. de L. Vlpii Marcelli vita et scriptis*, Sect. I. c. 6. §. 2. in OKLRICH *Thes. nouo Dissert. Belgic. Vol. I. T. I. p. 35.*

c) v. VAL. GVIL. FORSTERVS *de iur. interpretat.* L. I. c. 5. in OTTON. *Thes.* T. II. p. 980. HEINECCH. *Pr. de Saluio Iu-*

liano, in EIVS *Sylloge Opuscul. varior. ex.* XXIII. p. 795. et IO. ORTV. WESTENBERGII *Diuus Marcus*, *Diss. I. §. 13. p. 3.*

d) L. 17. D. *de iure patron.* ad quem locum videndus omnino WESTENBERG. *l. c. Diss. XIII. p. 148—158.*

e) teste CAPITOLINO in v. *M. Antonini*, c. 22.

f) CAPITOLIN. *ibid.*





plura suppeditauit argumenta QVIR. GOTTF. SCHACHER g). Occurrit proinde in Digestis h) sub D. MARCO prima auditorii principalis mentio: *Scaeuola Diuum Marcum in auditorio de huiusmodi specie iudicasse refert*. Nihilominus stetit et hoc imperante senatui Romano suus adhuc honos, cui multa, ad se pertinentia, Principem indulsisse, CAPITOLINVS tradit i), quod quidem singulare fuisse, nec a sequioribus Imperatoribus, qui Consistorio suo vel Auditorio omnia permetterent, seruatum arbitror. Maxime autem memorabile illud, quod itidem de MARCO proditum est k): *habuisse eum secum praefectos, quorum auctoritate et periculo semper iura dictauerit*: quem quidem locum RITTER l) recte interpretatus est: MARCVM praefectorum auctoritate, siue consilio, et periculo, id est formula, quam illi scripto conceperant, vsu esse, quum *dictaret iura*, aut constitutiones emitteret. Quae quidem consuetudo, Praefectos Praetorio admouendi Consistorio, quamquam iam HADRIANI aetate, vt supra vidimus, inualuit: videtur tamen a MARCI demum imperio hunc habuisse effectum, vt Praefecti in locum adeo Imperatoris ipsius in auditorio succederent, et dignitatem, quae fuerat ante HADRIANVM vnice militaris, cum plenissima rerum ciuiliu administrandarum et cognitionum exercendarum potestate commutarent. Vnde et in hanc adducor suspicionem, auditorium Praefecti Praetorio a principali plerumque non fuisse diuersum; quam quidem sententiam alio commodiore loco explicabo, ne narrationis seriem interrumpam.

COM-  
MODI

g) in *Diss. singularia M. Aurelii Antonini Philosophi iurisprudenciae capita*, (Lipf. 1732.) §. 5. p. 9. sq.

h) L. 22. pr. D. ad SC. Trebell.

i) *ibid.* c. 10.

k) *ibid.* c. 11.

l) in *Prol. cit.* p. 16.



MODI consilium, si quod adhibuit, arbitror plus potuisse ipso Principe: *agebantur enim omnia per alios m*). In primis autem *Perennem*, Praefectum Praetorio, constat *sibi cuncta sub eo vindicavisse n*), quare DIO o): *ὁ Περένιος ἠναγκάζετο οὐχ ὅτι τὰ στρατιωτικά, ἀλλὰ καὶ τὰλλα διὰ χειρὸς ἔχειν καὶ τοῦ κοινῶ προσατείν*. A quo tempore, quod obiter moneo, videntur Praefecti Praetorio acquiritam semel potestatem successoribus quasi per manus tradidisse. Nam SEPTIMI SEVERI aetate quis potentior fuit *Plautiano P. P.* quem Imperator adeo sibi putavit esse necessarium, vt, absente eo, quamquam iuris ipse peritissimus, mallet tamen differre causam, quam sine eo pronunciare? Quum vero non sit animus scribendi praefectorum historiam, videamus, an de SEPTIMI SEVERI Consistorio certiora afferre liceat. Ac licet profecto ex *ULPIANO p*), qui disertis verbis vno in loco bis commemorat *auditorium SEVERI et ANTONINI: Glabrimonem Acilium Diuus Severus et Imperator Antoninus non audierunt, incolorate restitui desiderantem aduersus fratrem, post speciem in AVDITORIO EORVM finitam; et mox: sed et Percennio Seuro contra res bis iudicatas in integrum restitui, Diuus Severus et Imperator Antoninus permiserunt in AVDITORIO SVO examinari*. Idem igitur hoc auditorium fuit, in quo etiam *Papinianus* tanquam Praefectus Praetorio iudicavit, ob quem dicitur nonnunquam *auditorium Papiniani*, vt a *PAVLO q*): *lecta est in auditorio Aemilii Papiniani, Praefecti Praetorio, Iurisconsulti, cautio*. Plura de ratione, quae intercessit SEVERO cum suis consiliariis, tradidit DIO CASSIUS r), e quo praeterea colligo, habuisse eum peculiarem in palatio locum,

E 2

stellis

m) LAMPRID. v. *Commodi*, c. 13.

p) L. 18. §. I. et 2. D. de minor.

n) *ibid.* c. 5.

q) L. 40. pr. D. de reb. cred.

o) Lib. LXXII. c. 9.

r) Lib. LXXVI. c. II.



stellis distinctum, in quo ius redderet et cum consiliariis delibera-  
ret: — ἐς τὰς ὁροφὰς αὐτοῦ τῶν οἰκῶν τῶν ἐν τῷ παλατίῳ, ἐν οἷς  
ἐδικάζεν, ἐνέγραψεν.

§. 7.

*De Consistorio Alexandri Seueri et sequentium Imperatorum  
ad Constantinum usque Magnum.*

Sub sequentium Principum imperio quamquam reperire licet  
nonnulla consilii alicuius, vel, si malis, auditorii vestigia: mini-  
me tamen haec ita nos morantur, quin statim ad ALEXANDRVM  
SEVERVM progredi possimus. Iam matrem eius, *Mammaeam*, se-  
decim e sapientissimis senatoribus, quorum princeps esset *Vlpia-  
nus*, consiliarios legisse, quorum opera et prudentia respublica ad-  
ministraretur, tradit HERODIANVS a): cui repugnare videtur LAM-  
PRIDIVS b), qui multo maiorem numerum habet. Verum non  
opus est, vt cum CASABONO HERODIANI locum suspectum pro-  
nunciemus, modo LAMPRIDIVM de Imperatore imperium iam  
adepto, HERODIANVM de matre, dum filius ipse reipublicae geren-  
dae nondum esset maturus, consiliarios eidem cooptante, intel-  
ligamus. LAMPRIDII verba, quia apprime faciunt ad indolem  
Consistorii, quo ALEXANDER vsus est, cognoscendam, integra ad-  
scribam: *negotia et causas prius a seniorum principibus et doctissimis  
iurisperitis et sibi fidelibus, quorum primus tunc Vlpianus fuit, tractari  
ordinarique, atque ita referri ad se praecepit. Leges de iure populi et  
fisci moderatas et infinitas sanxit, neque ullam constitutionem sancivit sine  
viginti*

a) Lib. VI. c. I. cf. TILLEMONT l. c. *Roman Empire*, Vol. I. c. 6. p. 243. sq.  
Tom. III. P. I. p. 293. EDW. GIBBON (ed. nouiss. Lond. 1783. 8.)  
*the history of the decline and fall of the* b) in *Alexandro Seu.* c. 15. et 16.



viginti iurisperitis et doctissimis ac sapientibus viris, iisdemque disertissimis non minus quinquaginta: ut non minus in consilio essent sententiae, quam senatusconsultum conficerent; et id quidem ita, ut tretur per sententias singulorum, ac scriberetur, quid quisque dixisset, dato tamen spatio ad disquirendum cogitandumque, priusquam dicerent, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus. Fuit praeterea illi consuetudo, ut, si de iure aut negotiis tractaret, solos doctos et disertos adhiberet, si vero de re militari, milites veteres et senes ac bene meritos, et locorum peritos ac bellorum et castrorum, et omnes litteratos; et maxime eos, qui historiam norant: requirens, quid in talibus causis, quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores vel Romani, vel ceterarum gentium, fecissent. Fuisse autem ipsi tres amicorum ordines, iam supra probauimus ex alio LAMPRIIDI c) loco, vbi tantae moderationis fuisse dicitur, ut amicos non solum primi ac secundi loci, sed etiam inferiores aegrotantes viseret. Laudantur inter eius consiliarios in primis PAVLVS et VLPIANVS d): plures suppeditat locus LAMPRIIDI e) maxime corruptus, quem alibi tentabimus. Quorum consuetudine quam praeclare vsus sit, docet IDEM scriptor f): actibus publicis post multam horam operam dabat, idcirco, quod et res bellicae, et res ciuiles (vt superius dictum est) per amicos tractabantur, sed sanctos et fideles, et nunquam venales: et tractatae firmabantur, nisi quid noui etiam ipsi placeret. — Post meridianas horas subscriptioni et lectioni epistolarum semper dedit operam, ita, vt ab epistolis et libellis et a memoria semper adfisterent. Nonnunquam etiam, si stare per valetudinem non possent, sederent, relegentibus cuncta librariis, et iis, qui scrinium gerebant, ita vt Alexander sua manu adderet, si quid esset

E 3

adden-

c) *ibid.* c. 20.d) *ibid.* c. 26.e) *ibid.* c. 68.f) *ibid.* c. 29. et 31.



addendum: sed ex eius sententia, qui disertior habebatur. Post epistolas, omnes amicos simul admisit, cum omnibus pariter est loquutus; neque unquam solum quemquam, nisi praefectum suum, vidit, et quidem Vlpianum, ex assessore semper suo, caussa iustitiae singularis g). Sub GORDIANIS obseruo διακρήσιον P. P., quod itidem apud HERODIANVM h) occurrit; GORDIANI III. autem aetate titulum *Mistheo*, qui tunc omnia poterat, a senatu decretum i) eminentis viri, parentis principum, praetorii praefecti, rel. qualis legitur et in lapide GRVTERI k), meque, vt et sub hoc Imperatore statuam fuisse Consistorium, quod adessent parentes principis, cuius nominis rationem alio tempore explicabo, mouet. PHILIPPVM ARABEM vsu[m] etiam esse consilio, probant ii, quibus displicet vulgata inscriptionis l) lectio: *Imp. PHILIPPVS cum Coelio colloquutus dixit*, pro qua reponunt: *cum consilio m)*. Vnum GALLIENVM puto abrogauisse comitatum et cum

g) Temperare mihi nequeo, quo minus apponam TILLEMONTI de ALEXANDRI consiliariis iudicium, quod legitur l. c. T. III. P. I. p. 294. „On marque, que c'étoient toutes personnes graves et venerables, au dessus de tous les plaisirs, sans déguisement, sans artifice, ennemis de la cruauté et des voleries, amis des bons, qui ne faisoient point de cabales, qui ne s'unifesoient point ensemble pour faire le mal, qui ne vendoi[en]t point leur credit, qui ne cherchoient point à se moquer du prince, ni à le faire moquer par les autres, ou à le faire passer pour beste, mais qui l'aimoi[en]t sincerement, qui rachoient à établir sa reputation, qui le conseiloi[en]t avec fide-

lié, sans lui cacher la verité, et sans le tromper jamais. On prétend, que ce fut ce qui contribua le plus à le faire paroître un grand Prince, et à rendre son regne heureux. cf. omnino ALEX. CHASSANAËI *Alexandri Seueri Axiomata politica et ethica* (Paril. 1635. 4.) Axiom. c. II. 12. p. 73 — 80.

h) Lib. VII. c. 6.

i) teste CAPITOLINO in *Gordiano III.* c. 27.

k) P. CCCCXXXIX. n. 3. 4.

l) L. 6. C. de vsucap. pro emr.

m) veluti GVTherivs de offic. dom. Aug. Lib. I. c. 24.



cum comitatu etiam Confistorium *n*): at nimis exosum fuit eius imperium, quam quod omnem collegii vtilissimi posset exstirpare memoriam; certe illud rursus, et nominatim quidem, (quod olim non ita) reperimus sub DIOCLETIANO et MAXIMIANO, vt capite superiori monui.

§. 8.

*De Confistorio Constantini M. et successorum.*

A CONSTANTINI M. temporibus in omnium fere omnis aevi Imperatorum legibus nihil frequentius occurrit Confistorio; quare singulis exemplis recensendis arbitror me posse superfedere, in primis postquam Vir illustris, CAR. FRID. ZEPERNICK *a*), argumentis satis probabilibus docuit, plerosque Principes Byzantinos e peritorum consiliis decreta legesque condidisse. Interea negari nequit, CONSTANTINVM, quemadmodum in vniuersum magnas attulerit rei iudicariae mutationes, quas praeclare depinxit IO. HOF *b*), ita comitum quoque suorum et consiliariorum auctoritatem adeo minuisse, vt dignitas tantum, non potestas iisdem superesset *c*): vnde non mirum, Clericos quoque ab eo in con-

filium

*n*) Colligit id ex AVRELIO VICTORE *zas diiudicandas dari solis*, cap. vlt. in *de Caesar.* c. 33. TILLEMONT *l. c.* T. III. OELRICHS *Thes. nouo Dissert. Belg.* Vol. P. III. p. 933. sqq. et T. III. P. I. p. 452. I. T. II. p. 557 — 560.

*a*) in *Diatr. de rerum perperuo similitudine a centumuiris iudicatarum auctoritate*, §. 16. adi. SIB. TET. SICCAMAE *de iudicio centumuirali* Lib. II. ab EODEM editis, p. 368. 369.

*b*) in *Diss. de iudicibus a praetore et prouinciarum rectoribus ad causas priua-*

*c*) teste EVSEBIO in *v. Constantini M.* Lib. III. c. I. cf. ANONYMI (PILATI DE TASSVLO, vt fertur) liber gallice scriptus, et vernaculae redditus hoc elogio: *Geschichte der Veränderungen in der Regierung, den Gesetzen und dem menschlichen Geiste von Constantins Bekehrung an bis*





filium fuisse receptos, quod e CORN. GVIL. DE RHOER *d*) didici. Coeperunt etiam sub Principibus Christianis cognitiones imperatoriae ipsae esse rariores *e*), et saepius caussae demandari iudicibus peculiaribus, quales illo aevo erant Tribuni Notarii: cuius quidem vicissitudinis caussas visus mihi sum inuenire tum in fastu, tum in mollitie etiam Imperatorum, vtpote quibus molestum esset, tempus iudicando consumere. Frequentius certe iuri consultuendo adhibitum fuisse legimus consistorium a THEODOSIO *iunior*e *f*), vtpote qui nullam legem promulgari voluit, nisi ab omnibus antea proceribus Palatii et senatu de ea esset tractatum, et, quum omnes in eam consensissent, in Consistorio esset recitata. Denique et IVSTINIANVS vsus est Consistorio variis officiis distincto; cuius formam optime descripsit PET. GVDELINVS *g*). Obtinuisse autem morem habendi Consistorium ad nouissima vsque aulae Byzantinae sequioris tempora, probat GEORG. CODINVS, vulgo CVROPALATES *h*), qui inter eius officia bis exhibet τὸν ἐπὶ τῆς ἱερᾶς κατατάξεως, εἰς τὸ προϊέναι εὐταξίαν ἐντὸς τοῦ βουλευτηρίου, praefectum sacro Consistorio, qui apud tribunal ordinem iustum seruari curat.

## CAPVT

*bis auf den Untergang des Weströmischen Reichs*, Tom. I, II. (Lipf. 1784. 8.) T. I. c. 1. p. 15.

*d*) in Dissert. de effectu religionis Christianae in iurisperitiam Romanam, Fascic. I. (Groning. 1776. 8.) Diss. II. §. 14. p. 63. in primis Diss. III. §. 5. p. 89. sq.

*e*) quod obseruauit IDEM Diss. II. §. 7. p. 46.

*f*) L. 8. C. de LL.

*g*) in Comm. de iure nouissimo, Lib. V. c. 4.

*h*) de official. palatii Constantinop. ex edit. FRANC. IVNII, p. I. lin. 10. et p. 6. lin. 25. cf. IVNII not. p. 250.



## CAPVT III.

QVATENVS DICI POSSIT CONSISTORIUM PRINCIPIS AB  
AUDITORIO SACRO DIVERSVM.

## §. I.

*Nostra sententia de duplici Principum consilio proponitur.*

Propero iam ad summum disputationis huius caput, quo, vtrum aliquid differat Consistorium Principis ab eiusdem Auditorio, et quatenus, inuestigabo. Fateor tamen, meae hac de re sententiae ob stare viros non paucos, auctoritate et doctrina insignes: FILLEAV *a*), GY THERIVM *b*), GRAVINAM *c*), ALE. DIET. TREKELIYM *d*), BACHIVM *e*), BEVERIVM *f*) et Illustres ZEPERNICKIVM *g*) atque CHRISTI. FR. GLVICKIVM *h*), qui omnes de Consistorio Principum et Auditorio sacro, tanquam de vno eodemque consilio, loquuntur. At, quod pace tantorum virorum dixerim, videntur omnes in hanc sententiam adducti esse eo, quod in plerisque legum ac scriptorum locis *Auditorium* pro *Consistorio*, et vice versa, promiscue positum animaduertent; quum tamen non desint antiquitatis monumenta, e quibus duplex, idque diuersum consilium principale, et duplex ac diuersum adfessorum in vtroque genus

*a*) l. c. c. 2. in MEERMANNI *Thef.*  
T. I. p. 339. sq.

*b*) *de offic. dom. Aug.* Lib. I. c. 17. 18.

*c*) l. c. p. 495. sq.

*d*) ad BRISSONII *Selectr. antiquist.*  
L. I. c. 12.

*e*) *Histor. iurisp. Rom.* Lib. III. c. I.  
sect. I. §. 27.

*f*) l. c. p. 273. sqq.

*g*) l. c. §. 16. p. 363. sqq.

*h*) in libello aureo: *Introductio in studium historiae legum postriuarum Germanorum.* (Hal. 1781. 8.) c. 3. sect. 2. §. 74. n. 3. p. 151. sq.



genus elicere possimus. Quapropter in ea equidem verborum opinione, fuisse iam ab HADRIANI inde aetate, et postea perpetuo obtinuisse duplex consilii imperatorii genus, alterum, quod cum Principe solam publicorum negotiorum curam participaret, et summa eius familiaritate vteretur, alterum, quod causis tantum cognoscendis legibusque faciendis, quatenus earum rogatio ad sanctius consilium haud pertineret, vacaret; illud ante DIOCLETIANVM et MAXIMIANVM solenni nomine caruisse, et ab hac demum aetate *Consistorium Principis* vocari coeptum esse; hoc, cognitionibus potissimum exercendis destinatum, dudum, a D. MARCI certe temporibus, *Auditorium Principis* dictum esse; plerumque tamen in legibus *Auditorii* et *Consistorii* promiscuum esse usum, licet *Consistorium* sequiori aeuo frequentius occurrat *Auditorio*: *Consistorium* fuisse angustius, *Auditorium* vero amplius iudicium, cui adhiberentur etiam ii, qui sanctiore Principis consuetudine in *Consistorio* vterentur: lectosque adeo esse Consistorianos ex adfessorum in Auditorio numero; ita vt, qui Consistorii essent participes, iidem etiam Auditorio, minime, qui Auditorii, iidem et Consistorio interessent: denique, saepe sub Auditorio Praefecti Praetorio Principis Auditorium esse intelligendum. Praeiuerunt mihi quodammodo (neque enim integram coniecturam apud quemquam reperi) in hac sententia tuenda CORVINVS *i*), HERM. OOSTERDYK *k*), MEIN. TYDEMAN *l*), HIER. VAN ALPHEN *m*), et nuperrime

*i*) *method. enarr. ad tit. C. de Comitibus Consistorianis*, (Lib. XII. tit. 10.) p. m. 181.

*k*) *Disp. ad fragmenta, quae ex Venuleii Saturnini Libris de officio proconsulis su-*

*perfunz*, Cap. I. §. 6. in OELRICHS *Thef. nou. Dissert. Belgic. Vol. I. T. II. p. 465.*

*l*) *Diss. cit. Sect. I. c. 6. §. 2. apud*

*EVND. Vol. I. T. I. p. 34. lq.*

*m*) *Diss. continens spicilegia de Iauoleno Prisco*



perrime VÖLKELE n), quorum argumenta meis subinde qualibuscunque ratiunculis confirmabo.

§. 2.

*Pro duplici Imperatorum consilio argumenta.*

Iam ab Hadriani aetate obtinuit duplex consilii Imperatorii genus; alterum, quod cum Principe solam publicorum negotiorum curam participaret, et summa eius familiaritate vteretur, alterum, quod causis tantum cognoscendis, legibusque sancendis, quatenus earum rogatio ad sanctius consilium haud pertineret, vacaret. Probo id primum ex verbis SPARTIANI a): quum iudicaret, in consilio habuit non amicos suos aut comites solum, sed iurisconsultos — quos tamen senatus omnis probasset. Vides hic aperte distingui in consilio HADRIANI Iurisconsultos ab amicis et comitibus, quos paullo ante b) dixerat IDEM adhibitos fuisse a Principe in contubernium imperatoriae maiestatis. Nam hoc certe non solum potestatem iudicandi, sed summam etiam rerum civilium administrationem comprehendit. Confirmare id videtur SPARTIANVS, quando alio loco ait: principem, quum causas cognosceret, et senatores, et equites Romanos in consilium vocasse, quum, in contubernium imperatoriae maiestatis optimos de senatu tantum lectos esse, modo tradidisset. Accedit, quod causae saepenumero opponuntur negotiis hoc sensu, vt negotia spectent ad curam reipublicae, causae ad controuersias priuatorum: quare coniunxit LAMPRIDIVS c) negotia et causas. Ac causam quidem frequenter apud veteres occurrere ita, vt intelligatur res, de qua disceptatur cum

F 2

rela-

Frisco ICRO, c. I. §. 3. in OELRICHS Thes. nouo Differet. Belg. Vol. III. T. I. p. 15.

a) in v. Hadriani c. 18.

b) ibid. c. 8.

n) in not. g. ad BEVERJI l. c. p. 275.

c) in Alex. Sen. c. 15.



relatione quadam ad ius et leges, ubi quaeritur recte, an secus, bene, an male, iure, an iniuria, aliquid agatur, actum sit, agi possit, multis exemplis probavit IO. MATTH. GESNERVS d): *negotii* autem usum, quem dixi, confirmant bina SVETONII e) loca. Quod quidem argumentum si cui forsitan videatur leuius, audiat alterum, a LAMPRIDIO f) petatum, qui itidem *viginti iurisperitos* distinguit a *doctissimis ac sapientibus viris, iisdemque disertissimis non minus quinquaginta*, quos alias sub *amicorum comitumque* nomine intelligi suspicor g); ita ut credam, ALEXANDRUM imitatum esse HADRIANUM in eo quoque, ut duplex separaret consilium, et partem negotiorum ac causarum. sanctiori committeret collegio, in quo essent *scriniorum principes, et doctissimi iurisperiti, et sibi fideles*, partem in ampliori auditorio tractaret, in quo etiam leges sanciret, adhibitis *viginti iurisperitis aliisque doctissimis ac sapientibus viris non minus quinquaginta*. Qua in opinione magis adhuc me confirmant ea, quae sequuntur: *fuit praeterea illi consuetudo, ut, si de iure aut de negotiis tractaret, solos doctos et disertos adhiberet, si vero de re militari, milites veteres, et senes, ac benemeritos, et locorum peritos ac bellorum et castrorum, et omnes litteratos, et maxime eos, qui historiam norant*. Maximum autem sententiae meae pondus accedit e ZOSIMO h), cuius auctoritate usus etiam TYDEMAN i), ut probaret, multum interfuisse inter iurisperitos, iuris sancendi ergo in principale auditorium vocatos, et amicos atque comites Principum, qui

arca-

d) in *Thef. L. L. h. v. T. I.* p. 813.

e) v. *Augusti* c. 35. et *Tib.* c. 55.

f) l. c.

g) Vnde merito IAC. CVIACIVS *Obff.*  
Lib. VII. c. 21. notatur ab AVERANIO

*Interpret. iur.* L. III. c. I. §. 10. quod, comites in libris nostris *semper accipi adfessores iurisperitos*, scripserit.

h) *Hist. Nou. L. V. c. 30. §. 8.*

i) l. c. p. 35.



arcanorum participes essent consiliorum. Ita enim ZOSIMVS de IVSTINIANO: αἰρεθεῖς παρὰ Στελίχωνος πάρεδρος τε ἐμοῦ καὶ σύμβουλος, vbi perspicue πάρεδρος et σύμβουλος distinguuntur, quorum illud ad Auditorii principalis adessores, hoc ad sanctioris Consistorii participes refero. Patet simul, vtramque dignitatem nunquam in vno homine fuisse coniunctam; nec nego omnino, optimos Imperatores non tantum iuris condendi, sed etiam omnium eorum causa, quae ad salutem et administrationem rei publicae pertinerent, ICTOS adhibuisse in consilium: quale exemplum didici ex ipso LAMPRIDII loco, ad quem prouocavi, vel, si quis cum lege loqui amet, ex eo, quod PAPIANVS *k*) in vniuersum scripsit: *iurisperitos, qui tutelam gerere coeperunt, in consilium Principum adsuntos, optimi maximique Principes nostri constituerunt excusandos, quoniam circa latus eorum agerent, et honor delatus finem certi temporis ac loci non haberet.* Quae quum ita sint, clarum est, quatenus, qui Consistorio interessent, iidem etiam in Auditorium vocari, non vero, qui Auditorio, iidem et Consistorio potuerint adhiberi: id quod et IVSTINIANVM *l*) ipsum puto indicare: *ad haec sancimus, si quando lis speratur in nostrum inferri consistorium: si forte contigerit, imperatoriam maiestatem occupatam publicis causis ex mundanis prouisionibus, non posse conuocare patres, quatenus causa agitetur: non ex hoc litem periclitari.*

## §. 3.

*De usu Auditorii et Consistorii tam peculiari, quam promiscuo.*

Equidem enim duplex hoc consilium duplici etiam *Consistorii* et *Auditorii* nomine appellatum fuisse iudico, quamquam rem

F 3

ipsam

*k*) I. 30. pr. D. de excusar. cf. OOSTER-  
DYK l. c. p. 465.

*l*) Nou. XXIII. c. 2.



ipsam ante nomina adfuisse facile largiri possum. Certe *Auditorii* nomen, tanquam antiquius *Consistorio*, et consilio Principum, in quo causae cognoscerentur, proprium, primum inueni sub D. MARCO, quem SCAEVOLA in *auditorio de specie* aliqua fideicommissi restituendi *iudicasse* refert a). Vbicunque vero *auditorii* vocabulum vel in legibus, vel apud veteres scriptores occurrit, ibi tantummodo id de confesso iudiciario, in quo Princeps ipse cognoscat, nunquam de sanctiori rerum publicarum consilio dici, animaduerti. Exempla praesto sunt e Digestis apud VLPIANVM b), qui disertis verbis plures *species* restitutionum controuersas in *Auditorio* SEPTIMII SEVERI et ANTONINI CARACALLAE narrat esse examinatas; PAVLVM c), qui iisdem temporibus vixit, et *maius auditorium*, ad quod quis litis causa vocatus est, commemorat; et MARCIANVM d), qui ipse in *auditorio publico*, quatenus de statu defunctorum quaerere liceat, respondisse se confirmat: neque enim vel *publicum* MARCTANI, vel *maius* illud PAVLI puto diuersum fuisse ab *Auditorio* principali, quum vterque, vt infra demonstrabo, fuerit inter consiliarios ab Imperatore iudicandi causa adhibitos. Si quis vero desideret argumenta e constitutionibus Principum ipsis petita, acquiescat aliquot Impm. VALENTINIANI, VALENTIS, GRATIANI et THEODOSII sanctionibus, Codici Theodosiano insertis, quarum nulla aliud agnoscit *sacrum auditorium*, nisi, in quo lis per prouocationem, ad Principem factam, finiatur e). Eodem modo et CENSORINVS f) *provinciarum tribunalibus* opponit

a) L. 22. pr. D. ad SC. Trebell.

b) L. 18. §. I. D. de minor.

c) L. 54. D. de re iudic.

d) L. I. §. fin. D. ne de statu defunct.

e) v. g. L. 40. 44. 48. Cod. Th. de appellar. (Lib. XI. tit. 30.) L. 3. 4. 5. eod. de reparat. (L. XI. tit. 31.)

f) de die natali, c. 15.



*auditoria sacra*, ubi de eloquentia hominis cuiusdam, *quam urbs Roma et auditoria sacra mirata sunt*, loquitur, et SYMMACHVS g) provocaciones ad sacri auditorii cognitorem pertinuisse scribit: *provinciali actione decursa, quae ad sacri auditorii cognitorem necessaria provocatione peruenit, delectatus sum fide ac diligentia tua, et fortunam negotii non defensoris inscientiae, sed voto iudicis imputavi*. Quare nescio, an audiendus sit HERM. NOORDKERK h), Principem, si proprie loqui velimus, in Auditorio non dixisse sententiam, sed per decreta ius condidisse, statuens, quod ibi non tam iudicem, quam iuris conditorem ageret: imo magis placent, quae Ill. ZEPERNICK i) pronunciauit: *Principis Auditorium locum iudicii esse, et cum eo posse comparari, certum est: nam in eo partes earumque patronos causas allegationes exposuisse, ex actorum exemplis nobis servatis videre est; et IUSTINIANVS k) haud obscure innuit idem, si inquit: „Si imperialis maiestas causam cognitionaliter examinarit, et utrisque partibus cominus constitutis sententiam dixerit.“* Quae quum ita sint, nemo facile fidem habebit GVTHERIO l), inter auditorium et tribunal Principis ita distinguenti, ut in illo eum iudicasse, in hoc cognovisse sibi persuadeat. Iudicare autem de Principe, sententiam super quaestione iuris controuersa, aliaue consultatione, in solenni adfessorum confesso ferente, et ita decretum condente; cognoscere de eodem, extra ordinem inter partes, magistratus forte loco, ius dicente, accipit: ut adeo hoc in

g) Lib. VIII. ep. 17.

h) Obs. c. 4. p. 63.

i) Diarr. cit. §. 16. p. 364. sq.

k) L. 12. pr. C. de LL.

l) l. c. Lib. I. c. 20. Aliud discrimen auditorium inter et tribunal assert VAL.

CHIMENTELLIVS de honore biselli, c. 15.

in GRAEVII Thes. antiquit. Tom. VII.

p. 2073. qui, nescio quo iure, ita distinguit: *in auditorio agentium causas postulara audiebantur; in tribunali ius promebatur.*



in *tribunali* factum sit; in *auditorio* contra neque partium, neque aduocatorum praesentia necessaria fuerit, utpote quae solummodo in causis pro tribunali cognoscendis exigeretur. Verum enimvero quemadmodum omnino GUTHERII fidem suspectam habeo, ubi coniecturis indulget: ita et huic potissimum opi ioni tot obstare animaduerti impedimenta, (quorum nullum, nisi notissimos IULII PAULI *libros decretorum*, seu *sententiarum in imperialibus cognitionibus prolatarum*, commemorabo) ut accedere ei nullo modo possim. Ino si quid reperire licet inter auditorium et tribunal discriminis, nullum profecto fuit, nisi loci; quod et supra indicavi m), et DIONIS n) testimonium aperte confirmat: καὶ ἐδίκαζε τὸτὲ μὲν ἐν τῷ παλατίῳ, τὸτὲ δὲ ἐν τῇ ἀγορᾷ, τῷ τε Πανθεῖῳ, καὶ ἄλλοθι πολλαχόθι, ἀπὸ βήματος. Multo clarius autem *Consistorium* distinguitur ab *Auditorio*, tanquam sanctius imperatoriae maiestatis contubernium, in quo essent, quibus Princeps consiliorum suorum arcana committeret, ut cum PACATO o) loquar. Ac primum quidem huius rei causa testimonium denunciabo AMMIANO MARCELLINO p), qui de *Dynamio* scribit: *Consistorium solus ingressus intimum, captato tempore vincire sperans peruigilem salutis imperatoriae custodem. Lectaque in Consistorio astu callido confarcinata materia, Tribuni iussi sunt custodiri, et de prouinciis duci priuati, quorum epistolae nomina designabant.* Vides in hoc *Consistorio* omnia alia, quam iurisdictionis negotia fuisse agitata. Luculentiora adhuc sunt, quae mox de CONSTANTIO, in rebus trepidis cum primatibus, consilii causa conuocatis, deliberante, narrat q): *hac mole casus inopini*

m) C. II. §. 1.

n) Lib. LXVIII. c. 7.

o) in *Paneg. Theodosio dicto*, c. 15.

p) Lib. XV. c. 5. p. 79. ed. VALES.

q) *ibid.* p. 83.



inopinii CONSTANTIO ic̄to, quasi fulmine fati, primates, consilio secunda vigilia conuocato, properarunt omnes in regiam. Cumque nulli ad eligendum, quid agi deberet, mens suppetere posset aut lingua: submissis verbis perstringebatur Vrsicini mentio, ut consiliis rei bellicae praestantissimi, frustra graui iniuria laesiti: et per admissionum magistrum (qui mos est honoratior) accito eodem, ingresso Consistorium offertur purpura, multo quam antea placidius. Proinde et legati nonnunquam in Consistorium intromissi, auctore EODEM r): nobilitatis decreto legati mittuntur — — oraturi, ne delictis supplicia sint grandiora, neue senator quisquam inusitato et illicito more tormentis exponeretur. Qui cum intromissi in Consistorium haec referrent, negantem Valentinianum, se id statuisse, et calumnias perpeti clamitantem, moderate redarguit Quaestor Eupraxius: hacque libertate emendatum est crudele praeceptum, supergressum omnia diritatis exempla. Si vero sola MARCELLINI auctoritas nondum sufficere videatur ad demonstrandam Consistorii in rebus publicis gerendis vim plane vnicam et singularem: praesto est CASSIODORVS s), qui magistrum officiorum gloriosum donatorem aulici consistorii praedicat, quia, ipse consilii principalis particeps, aliis adeundi Principis copiam facit; sic enim statim: ut eius curis fidelibus subleuati, utilitatibus publicis viuaces occupemur. — Per eum nobis legatorum, quamuis festinantium, praenuntiatur aduentus: per eum nominis nostri destinatur euectio; et isti principaliter creditur, quod tam necessarium esse sentitur. Similiter curam rerum publicarum ad antiqua consistoria pertinuisse, IDEM alibi non obscure indicat t). Adde, quae in ipsis adeo legibus frequenter occur-

r) Lib. XXVIII. c. I. p. 513. ed. VALES.

s) Variar. Lib. VI. c. 6.

t) ibid. Lib. V. c. 41.



occurrunt, *sacri Consistorii arcana v*), *secreta veneranda x*), legationes prouincialium in Consistorio auditas *y*), *Consistorianos augusti pectoris curas participantis z*). Quae quidem antiquitatis testimonia quamquam satis inseruiant discrimini, quo Consistorium Principis ab auditorio veteres distinxerunt, comprobando: negari tamen non potest, saepe etiam pro iudicio principali et loco, in quo Imperator caussarum controuersias cognosceret, Consistorium positum reperiri. Sufficiat, hanc ob rem prouocasse solummodo ad exempla *actorum in Consistorio habitorum*, quae magna diligentia IAC. GOTHOFREDVS *a*) collegit, quaeque nullam vocabuli nostri admittunt interpretationem, nisi hanc, qua de consilio Principis iudiciario accipitur. Quare nec mirum, in vna eademque IUSTINIANI lege *b*) promiscuam occurrere *Auditorii et Consistorii* mentionem.

## §. 4.

v) L. 28. Cod. Th. *de praetor. et quaestor.* (Lib. VI. tit. 4.)

x) L. 7. Cod. Th. *de priuil. eor. qui in f. Pal. mil.* (Lib. VI. tit. 35.)

y) L. 10. Cod. Th. *de legat. et decret. legationum.* (Lib. XII. tit. 12.)

z) L. 3. Cod. Th. *de metaris.* (Lib. VII. tit. 8.)

a) ad L. 3. Cod. Th. *de offic. iud. omn.* (Lib. I. tit. 10.) et L. 5. *de fide rest. et instrum.* (Lib. XI. tit. 39.) Praeter binas has leges similem *actorum Consistorianorum* inscriptionem exhibent L. 8. Cod. Th. *de fide rest. et instrum.* L. 2. Cod. Th.

*qui bonis ex L. Iulia cedere* (Lib. III. tit. 20.) L. 6. Cod. Iust. *eod.* L. 1. Cod. Th. *de iis, quae administrantibus.* (Lib. VIII. tit. 15.) L. 2. Cod. Iust. *de excus. mun.* (Lib. X. tit. 47.) L. 12. C. *de poen.*

b) Nou. XXIII. c. 2. et 3. cuius textum latinum a IUSTINIANO editum esse, constat: V. FERD. AVG. HOMMEL *de textu Nouellarum originario coniecturae*, §. 3. quique ibi commemorantur; in ill. ZEPERNICK *delectu scriptorum, Nouellas Iustiniani earumque historiam illustrantium*, (Hal. 1783. 8.) p. 272.



*Auditorium Praefecti Praetorio saepe haud diuersum  
a principali.*

Dixi subinde, magnam fuisse Praefecti Praetorio in auditorio Principis auctoritatem; quod adeo certum est, ut multis in locis auditorium Praefecti Praetorio idem esse, quod Principis tribunal, contendam. Quam quidem sententiam non video, quo iure obserauerit ill. OELRICHS *a*), displicuisse IAC. GOTHOFREDO *b*) et EV. OTTONI *c*), quum ille, an aliud fuisse Principis, aliud Praefecti Praetorio auditorium, statueret, disertis verbis nusquam declarauerit, hic, quod VLPIANO *d*) esset auditorium SEVERI et ANTONINI, id PAVLVM *e*) *auditorium PAPINIANI* appellasse, clare pronunciauerit. Imo negant fuisse auditoria P. P. et Principis diuersa inuicem et distincta, praeter GRAVINAM *f*) et BYNKERSHOEKIUM *g*), FRANC. POLLETVS *h*) quoque et CHRISTI. RAV *i*), Vir Illustris, rerumque mearum maghus fautor: quorum auctoritatem sequi quare ego nullus dubitauerim, iam explicabo. Ac primum quidem, etsi non ignorem, esse multos, qui, Praefectos Praetorio a MARCI demum ANTONINI seculo potestatem rerum

G 2 ciuilium

- a*) Diff. de vita, studiis, honoribus et scripris Aelii Marciani. Sect. I. c. 9. §. 2. p. 56.  
*b*) ad L. 16. Cod. Th. de appell.  
*c*) in Papiniano, c. 14. §. 5.  
*d*) L. 18. §. 1. et 2. D. de minor.  
*e*) L. 40. D. de R. C.  
*f*) de ortu et progressu iur. ciu. c. 125. p. 91. ed. MASCOV.  
*g*) ad L. Lecta, c. 2. in Opuſcc. T. I. p. 10.  
*h*) *Hiſtor. fori Romani*, Lib. I. c. 4. p. m. 26. ſqq.  
*i*) Diff. de Claudio Tryphonino, ICro Rom. (Lipſ. 1768.) §. 10. p. 28.



ciuiliū conſequutos eſſe uelint, quod et ſupra monui, et CVR-  
TIO *k*) quoque placuiſſe obſeruauī: meliora tamen me docuit  
RITTER, ut iam HADRIANVM non in conſilio ſolum habuiſſe Prae-  
fectos Praetorio, ſed iisdem etiam cauſarum cognitiones inter-  
dum manduiſſe exiſtimem. Attulit BYNKERSHOEKIVS *l*) mani-  
feſtum huius rei teſtimonium e DOSITHEO *m*), qui HADRIANVM ad  
quaefſtionem de uſuris ſibi propoſitam reſpondiſſe ait: ὁ ἐξοχώτα-  
τος ἀνὴρ, ἑπαρχος μου, περὶ τούτου πράγματος ἐπιτάσει, καὶ  
ἐπαγγελεῖ μοι. Proinde nunquam defuerunt huic muneri  
obeundo Iuriſconſulti ſui aevi celeberrimi *n*), PAPI-  
NIANVS, VLPIANVS, IULIVS PAVLVS, et alii, quorum catalo-  
gum exhibet ADR. STEGER *o*), poteſtatem uero alterum ab im-  
peratoria locum tenuiſſe, multis conſtat argumentis. Neque  
enim ſolummodo *Parentes* eos *Principum* *p*) uocatos, et dignita-  
tem ipſam βασιλείαν ἀπόρροον *q*), *ſpeculamque honorum* *r*) dictam  
eſſe reperi-  
mus; ſed AVRELIVS VICTOR *s*) quoque *honorem alterum*  
*ab auguſto imperio*, et ZOSIMVS *t*) τὴν τῶν ὑπάρχων ἀρχὴν δευτέραν  
μετὰ τὰ σκῆπτρα νομιζομένην appellant. Quare ueriffimum illud,  
quod POLLETVS *v*) defendit, praefuiſſe Praefectos Praetorio audito-  
riis Principum tanquam praefides, uſoſque eſſe conſiliariis impera-  
toriis tanquam ſuis, ita, ut, inſtar Principum, *pronunciauerint* uel

*decre-*

*k*) Comm. de Senatu Rom. poſt tempo-  
ra reip. liberae, Lib. II. c. 8. §. 47.

*l*) l. c. p. II.

*m*) Senent. D. Hadriani, c. 5. in ANT.  
SCHVLTINGII Iuriſpr. Antieuiſt. p. 864.  
ed. Lipſ.

*n*) V. EM. MERILLII Obſſ. Lib. VIII.  
c. 39. in Opp. T. I. p. 347.

*o*) Diſſ. de honoribus ueterum Iurecon-  
ſultorum, (Lipſ. 1743.) c. I. §. 8. p. 27.

*p*) RITTER Prol. cit. c. 2. p. 20.

*q*) EVNAPIO in Proaereſto p. m. 117.

*r*) SYMMACHO Lib. I. ep. 20.

*s*) de Caefar. c. 9.

*t*) Hiſtor. Lib. II. c. 32.

*v*) l. c. p. 28. 29.



decreuerint. Sic certe PAVLVS in ipsis *Decretorum* s. *sententiarum* in imperialibus cognitionibus prolatarum libris refert, PAPIANVM pronun-  
 ciasse x) in auditorio, quod VLPIANVS y) SEVERI et ANTONINI  
 fuisse dixerat, et alibi, *nouam sententiam* PAPIANVM induxisse, se-  
 cundum quam ipse adeo Imperator *pronunciauerit* z). Saepissime  
 vero a Principibus demandatae sunt Praefectis Praetorio cog-  
 nitiones, quas ipsi in se suscipere nollent; vt, quum Imperatores  
 DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS, aditi a femina, etiam seruili,  
 cognitionem et vindictam demandarent Praefecto Praetorio, quem  
 adiri iusserunt a); vel muliercula quaedam, *Berenice*, primo  
 aditu ipsum Imperatorem VALENTINIANVM vexare ausa, querelis  
 de facta sibi iniuria in sinum eius effusis, ad *Salustium*, Prae-  
 fectum Praetorio, delegaretur b); vel beneficium cuiusdam cog-  
 nitionis ab Imperatore VALENTE ad *Modestum*, Praefectum Praeto-  
 rio, transferretur c). Hinc non solum *Praefectum vice sacra iudi-*  
*cantem* inueni in lapide GRVTERIANO d):

FLAVIVS. ANNIVS. EVCHARIVS. EPIFANIVS. V. C. PRAEF  
 VICE. SACRA. IVD. REPARAVIT

sed legi etiam *Praefectum Praetorio iudicem sacrarum cognitionum* e),  
*auditorium sacrum amplitudinis praefectorianae* f), omnes omnino iudices  
*Praef. Praetorio censurae esse subiectos; ipsum vice sacra ubique iudicare,*

G 3

et

x) L. 97. D. de acquir. v. omitt. hered.

y) L. 18. §. 1. et 2. D. de minor.

z) L. VI. D. de iure ffici.

a) L. I. C. de prec. Imper. offer.

b) SVIDAS v. Σαλῦστιος, Tom. III. p.

278. ed. KVISTER.

c) ZOSIM. Hist. Lib. III. c. 14.

d) Corp. Inscr. p. CLXX. n. 5.

e) ibid. p. CCCCXXXIII. n. 4.

f) L. 67. Cod. Th. de appellat.



et imperatoria consuetudine adorari, quaeque huius generis alia elo-  
gia congefuit FRANG. CAR. CONRADI g). Quae quidem ornamen-  
ta fuerunt PP. P. adeo propria, vt non ipsi solum, sed etiam,  
qui vicariam duntaxat gererent praefecturam, iisdem condeco-  
rarentur; quale exemplum suppeditant Imperatores VALENTINIA-  
NYS, VALENS et GRATIANVS h): *siquidem praefecturae meritum cete-  
ris dignitatibus antefet; et vicaria dignitas ipso nomine eius se trahere  
iudicet portionem, et sacrae cognitionis habeat potestatem, et iudicatio-  
nis nostrae soleat repraesentare reuerentiam.* Tanta insuper fuit PP.  
P. in huiusmodi cognitionibus vice sacra habitis auctoritas, vt,  
quum ab omnibus magistratibus et Praefectis adeo Vrbi, qui  
saepe et ipsi vice sacra iudicauerunt, vt mox docebitur, liceret  
ad summum Imperatoris tribunal prouocare, a solo Praefecto  
Praetorio non liceret, *ne imperialis contingi veneratio videretur i).*  
*Credidit enim Princeps, eos, qui ob singularem industriam, explorata  
eorum fide et grauitate, ad huius officii magnitudinem adhibentur, non  
aliter iudicaturos esse pro sapientia ac luce dignitatis suae, quam ipse  
foret iudicaturus k).* Puto autem, datam fuisse Praefectis Praeto-  
rio potestatem hanc, ab omni prouocatione exemptam, lege de-  
mum CONSTANTINI M., anno aerae Christianae CCCXXXI. pro-  
mulgata l), quod et aliae sanctiones, Iustiniano iuri inser-  
tae m), confirmant, et IAC. GOTHOFREDVS n) inuictis argumentis  
demon-

g) Diff. *Ius prouocationum ex antiqui-  
tate Rom. erutum*, (Lipf. 1723.) c. 4. §. 57.  
P. 49.

h) L. I. C. *de offic. vicar.*

i) L. 16. Cod. Th. *de appellat.*

k) L. vn. §. I. D. *de off. Praef. Pr.*

l) d. L. 16. Cod. Th. *de appellat.*

m) L. vn. §. 1. D. *de off. Praef. Pr. L.  
17. de minor.* cf. L. 30. C. *de appellat. L.  
32. §. 5. eod. CASSIODOR. Var. Lib. VI.  
c. 3.*

n) ad d. L. 16. Cod. Th. *de appellat.*



demonstrauit. Miror tamen, virum summum non remouisse dubitationem, ex antiquiore, si fides habenda esset inscriptioni, DIOCLETIANI et MAXIMIANI constitutione o) ortam, qua sancitum est: *litigantibus in amplissimo praetorianae praefecturae iudicio, si contra ius se laesos affirmant, non prouocandi, sed supplicandi licentiam ministramus.* GV THERIVS p) certe, legis huius inscriptione motus, et sibi et aliis persuadere voluit, iam sub DIOCLETIANO praefecturam fuisse sine prouocatione. Verum enimvero si in mentem venissent viro docto argumenta, quae acutissime proposuit RITTER q): primum, constitutionem illam male seruare inscriptionem: *Impp. DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS AA. Thalassio, P. P. Illyrici*, quum sit ex Nouella VI. THEODOSII *contra sententias Praef. Pr. iniust.* desumpta; deinde subscriptionem: *Dat. III. Id. Aug. Constantinop. THEOD. A. XVII. et Festo V. C. Coss.* (A. C. CCCCXXXVIII.) aetati Impp., quorum nomina lex prae se ferat, minime conuenire; orbem denique Romanum a CONSTANTINO demum M. in *praefectura* esse diuisum, vt adeo DIOCLETIANVS nondum habere posset *PF. P. Illyrici*: in tantum profecto errorem GV THERIVS haud fuisset prolapsus. Quo excelsius igitur fuit praefectorii iudicii fastigium, eo propius etiam forma eius accessit consilio imperatorio, vt mirum non sit, auditorium P. P. et Principis tribunal vnum saepe esse idemque consilium. Habuerunt enim PP. P. quoque suos adfessores, et, quod in primis memorabile, eosdem fere, qui sacro Imperatoris auditorio adhibebantur. Sic PAPIANVS, ICTo-  
rum

In eandem sententiam discedunt RITTER  
*Prol. cir. c. 2. p. 16.* et ill. ZEPERNICK *ad*  
SICCAMAM *de iudicio centumuirali*, L. I.  
c. 6. not. g. p. 52.

o) L. vn. C. *de sentent. Praef. Pr.*

p) *de offic. dom. Aug.* L. II. c. 2. fin.

q) l. c. c. 2. p. 21.



rum facile princeps, Praefectis Praetorio adsedisse se testatur r), mox ipse Praefectus Praetorio, ideoque consilii imperatorii praefes sub SEVERO factus s): PAPINIANI in auditorio fuerunt PAULVS et VLPIANVS, qui, postea ad praefecturam euecti, ambo in consiliariis ALEXANDRI fuerunt, ceu clare loquitur LAMPRIDIVS t): *Paulum et Vlpianum in magno honore habuit, quos praefectos ab Helio-gabalo alii dicunt factos, alii ab ipso. Nam et consiliarius Alexandri, et magister scrinii Vlpianus fuisse perhibetur: qui tamen ambo adseffores Papiniani fuisse dicuntur.* MITTO alios PAPINIANI P. P. adseffores, qui omnes et Imperatoribus fuerunt a consiliis: CLAVDIVM TRYPHONIVM v), MESSIVM x), AELIVM MARCIANVM y). Sua autem aetate Praefectos Praetorio adhuc habuisse adseffores, testis est SIDONIVS APOLLINARIS z): *Praefectus Praetorio adseffores consiliis suis tribunalibusque sociavit.* Atque hoc certe sensu, PP. P. commune habuisse cum Principibus suis *auditorium*, dicere tanto magis licet, quum ipsi adeo Imperatores THEODOSIVS et VALENTINIANVS a) suum Consistorium dixerint *commune florentissimorum sacri palatii*

r) L. 3. §. 3. D. de usur.

s) L. 40. D. de R. C. Conf. Omnem, de concept. Dig. §. 4. cf. omnino OTTONIS Papinianus, c. 14. §. 4.

t) in v. Alex. Seueri, c. 26. cf. SPARTIANVS in v. Pescennii Nigri c. 7. OTTO l. c. §. 6. ADR. STEGERI Diss. *Domitius Vlpianus ICtus*, (Lipf. 1725.) Sect. II. §. 2 — 7. p. 19. sqq. EYSD. Diss. cit. de honoribus veterum ICrorum, c. I. §. II. p. 31.

v) L. 78. §. 4. D. de iur. dor. L. vlt.

de iure fisci. cf. ill. RAV Diff. cit. §. 10. p. 28.

x) d. L. vlt. D. de iure fisci. cf. OTTO l. c. §. 6. ill. RAV *ibid.*

y) L. 1. §. fin. D. ne de statu defunct. cf. OTTO *ib.* et ill. OELRICHS Diff. cit. Sect. I. c. 9. §. 2. p. 57. qui tamen, rem nondum esse exploratam, monet.

z) Lib. V. ep. 10.

a) L. 2. C. de LL. et Constitut. Princ. ad quam videndus ill. ZEPERNICK in Diatr. de rerum perpetuo similiter a Curiamuris



*palatii procerum auditorium.* Quidni vero idem et de auditorio *Praefecti Urbis* adseris, quem non secus, ac Praetorii praesidem, constat vice sacra iudicasse, auditorium habuisse sacrum, de appellationibus cognouisse, inter amicos Principis fuisse, et omnino in parifere cum Praetorio Praefectis honore habitum esse? Hac quidem voce multos me petituos intelligo, nec absque omni veri specie. Nam certe praeter multas inscriptiones, quae sistunt *Praefectum Urbis vice sacra iudicantem b)*, *iudicem sacrarum cognitionum c)*, *electum ad cognoscendas vice Caesaris cognitiones d)*, habemus quoque eius Praefectorum Urbis potestatis argumenta minime ambigua in ipsis legibus; quae tribuunt ipsis *auditorium sacrum, iudicium sacrum, grauitatem, cui Caesar vicem suam commisit*, et alia huius generis elogia *e)*; quibus addi potest SYMMACHI hac de re testimonium *f)*, et nomen *amici Principum*, quo IVNIVS RVSTICVS, *Praefectus Urbis*, a DIVIS FRATRIBVS apud VLPIANVM *g)* laudatur. Accedit, quod et Praefectis Urbis fuerunt sui adfessores, vt ill. ZEPERNICK *h)* ex antiquitatis monumentis demonstravit. Neque vero argumenta haec omnia tanti mihi videntur esse ponderis, vt in eam proinde adduci me patiar

*zumiris iudicarum auctoritate*, §. 20. l. c. p. 384. sqq.

b) GRVTER. *Corp. Inferr.* p. CXCHII. 6. 9. 10. CCLXXXV. 8. CCLXXXVII. 2. CCCLIII. 4. MLXVII. 5. MXC. 19.

c) l. c. p. CII. 9. CCLXXI. 4. CCLXXXIII. 7. 8. CCLXXXV. 6. CCLXXXVI. I. 2. 5. CCCCVII. 8. MXC. 19. cf. LVD. ANT. MVRATORII *nouus Thes. vet. inscriprr.* Tom. II. p. DCLXXXIX. 2.

d) GRVTER. l. c. p. CCCLXXXI. 3.

e) vt L. 2. Cod. Th. *de pact. et transact.* (Lib. II. tit. 9.) L. II. 13. 18. *de appell.* L. 17. et 23. Cod. Iust. *cod.*, cf. omnino IAC. GOTHOFREDVS *ad d. L. II. Cod. Th. de appellat.* et ED. CORSINII *lib. de Praefectis Urbis*, (Pis. 1766.) praef. §. 5. p. XXXI.

f) Lib. II. *ep.* 30.

g) L. I. §. 3. D. *de appellat. et relar.*

h) ad SICCAMAM *de iudicio centumviri*, Lib. I. c. 2. not. d. pag. 17.

H





patiar sententiam, qua Praefectorum vrbi auditorium vnquam cum principali comparatum, vel vtrumque promiscue dictum esse censeam. Quamquam enim facile largiri possum CONRADIO *i*), Praefectos Vrbi dudum, id est, iam ab AVGVSTI inde aevo, accepisse potestatem, de appellationibus loco Principis cognoscendi, eandemque perpetuo tenuisse: multum tamen differt cognoscere Imperatoris loco de appellationibus, quod solum fuit Praefectorum Vrbi, et omnes imperatoriae cognitionis partes augusto nomine exercere, ideoque ipsi etiam Principum auditorio praeesse, quod de Praefectis Praetorio supra probavi. Manifeste hoc voluit CONSTANTINVS M. celeberrima illa functione *h*), qua a sententiis Praefectorum Praetorio vetuit prouocari: *a Praefectis autem Praetorio, QUI SOLI VICE SACRA COGNOSCERE VERE DICENDI SVNT, prouocari non sinimus, ne iam nostra contingi veneratio videatur.* Qua propter etiam CASSIODORVS *l*), quum ait, *Iosephum fuisse a Pharaone Aegypto praefectum, quae potestas, inquit, hodie retinetur a P. P., qui et vice sacra VERE iudicat.* Inter eos igitur, qui vice sacra cognoscunt, quales fuisse quoque Proconsules, Comites, Vicarios, praeclare docuit GOTHOFREDVS *m*), PP. P. soli, non item PP. V. vere dicendi sunt vice sacra cognoscere. Nec attinet, quod IDEM vir doctus *n*) probare voluit, Praefectos Vrbi postea Praefectis Praetorio hac quoque parte fuisse exaequatos, vt appellare ab iis prohibitum fuerit, quum non solum ex argumen-

*i*) *Diff. cir. c. 4. §. 56. p. 47. cf. CORNIVS l. c. §. 6. p. XXXVI. lqq.*

*h*) L. 16. Cod. Th. de appellar.

*l*) in *Psalum CIII.* quem locum excitaui GOTHOFREDVS ad d. L. 16. Simi-

lem comparationem Praefecturae Praetorianae cum munere Iosephi legi et ipse apud CASSIODORVM *Variar. Lib. VI. c. 3.*

*m*) ad L. II. Cod. Theod. de appell.

*n*) *ibid.*



argumentis, quibus GOTHOFREDVS innixus est, elici id nullo modo possit, sed praesto etiam sit exemplum prouocationis a sententia P. V. sub ZENONE adhuc institutae o). Ac profecto sensum constitutionis Imp. VALENTINIANI, VALENTIS et GRATIANI p), qua suam in rem vsus est castissimus Codicis Theodosiani interpres, diligentius inspicienti statim in oculos occurret *episcoporum iudicium, cuius sententiam, a qua non oportuit prouocare, quia sanctione generali q)* argentaria quinquaginta librarum multa statuta erat in appellationes ab *exsequutione*, vel a *praeiudicio* interpositas, prouocatione suspenderat Chronopius quidam, ex Antistite, in poenam, quam diximus, pauperibus applicandam, propterea condemnari iussus. Ibi nulla Praefecturae urbanae, sed sola iudicii ecclesiastici mentio; a quo non oportuit prouocari propter sanctionem illam generalem, quae statim additur; non, quod omnis omnino prouocatio, ab ipso etiam Praefecto V. (si vel maxime eum huc referre velis) illicita esset, sed quod ab *exsequutione* esset interposita. Non magis altera, ad quam GOTHOFREDVS prouocauit, eorundem Imperatorum constitutio r) adiuuare eius sententiam potest, quoniam ibi non prouocatio, sed *pañum* post sententiam seu rem iudicatam in initum damnatur. Denique nec SYMMACHI s) auctoritas probare quidquam videtur, quum *inuisitata prouocatio* non statim sit *lega prohibita*. Illud igitur teneamus, Praefecturae Praetorianae semper maiorem visam dignitatem Urbana, et iure suo illius auditorium principali esse

H 2

aequi-

o) L. 12. §. 7. C. de aedific. priuat.

q) L. 15. 16. Cod. Th. cod.

p) L. 20. Cod. Th. quorum appellat. non recip. (Lib. XI. tit. 36.)

r) L. 2. Cod. Th. de pañ. et transact.

s) Lib. X. ep. 55.





aequiparatum. Si quis tamen adhuc sit, quem Praefectus Vrbi, toties sacra vice iudicans, nihilominus offendat, huic in memoriam reuoco illud, quod NOORDKERK <sup>t)</sup> dudum monuit, vtramque praefecturam, et Praetorianam, et Vrbanam, in vnius saepe hominis persona confedissee; quod equidem confirmo his inscriptionibus: prima, quae legitur apud GRVTERVM <sup>v)</sup>:

FLAVIO. PLAUDIO

SEVERO. V. C. PRO. COS. ORI

ENTIS. V. S. IVDICANTI. PROCONS. PR. PR

PROV. AFRICAE. ET. V. S. IVDICANTI

PRAEF. VRBI. ET. V. S. IVDICANTI. ITE

RVM. COMITI. ORD. PRIMI. INTRA. PA

LATIVM. PRAEF. PRAET. CONSVLI. ORD

altera, e TH. REINESIO <sup>x)</sup>:

DD. NN. VALENTINIANVS

ET. VALENS. AVGVSTI

ORNATVI. PVBLICO

CONSTITVI. LOCARIQ

IVSSERVNT

ADMINISTRANTE. RVFO

VOLVSIANO. V. C

RRAEF. PRAET. PRAEF

VRBI. IVD. ITERVM

SIBI. . . . . COC. . . . .

tertia

<sup>r)</sup> Disquis. de Lege Petronia, c. 4. p. m. 135. sq. cf. in primis CORSINI *lib. cit.* praef. §. 4. p. XXVI. et in ipso opere p. 207. sq. vbi plura exempla praefectu-

rae vrbae et praetorianae, in vno homine coniunctae, exhibentur.

<sup>v)</sup> l. c. p. MXCIII. 6.

<sup>x)</sup> *Syntagm. Inscript. antiqu.* Cl. II. n. 16.



tertia denique e MVRATORIO y):

FLORES

ET. PIISS

D. N. VALE

MAXIM

SEMPER

C. CEIONIUS

V. C. PRAEF

PRAEF. VRB

IVDIC. D. N

quam ita restituit MVRATORIVS: *Florentissimo et Piissimo D. N. Valerio Maxentio semper Augusto Gaius Ceionius V. C. Praef. Praet. Praef. Vrbi vice sacra iudicans D. N. M. Q. Eius.* Nihilominus sententiae meae non adeo pertinaciter inhaereo, quin, occurrere etiam loca, in quibus auditorium Principis manifeste a Praetoriano distingua-  
tur, concedam: qualia memini me in vtroque codice reperire z).

### CAPVT III.

EXEMPLA IVRISCONSULTORVM ILLUSTRIVM, QVOS  
IMPERATORES IN CONSILIVM ADHIBVERVNT.

Supereft, vt nominatim recenseam viros praecipuos, eosdem-  
que iuris peritiffimos, qui singulis Imp. fuerunt a consiliis. Qua  
quidem in libelli parte potero esse eo breuior, quo diligentius  
idem argumentum dudum a GVTHERIO a), M. AVGVSTINO CAM-

H 3

PIANO

y) l. c. Tom. II. p. DCLXXXVIII. 4. *decrer. legar.* (Lib. XII. tit. 12.) L. 4. Cod. Iust. *de iurisdic. omn. iud.*

z) velut L. 10. Cod. Th. *de legar. et* a) l. c. Lib. I. c. 18.



PIANO *b*) et IO. LVD. LANGGVTH *c*) occupatum esse animaduerti. Missis igitur, quorum aliis plus, aliis minus vti sunt Imperatores primi, Q. ANTISTIO LABEONE, C. ATEIO CAPITONE, C. TREBATIO TESTA, MASVRIO SABINO, M. COCCEIO NERVA, patre et filio, transeo statim ad TRAIANVM, quem e consilio NERATII PRISCI et ARISTONIS respondisse, PAPINIANVS *d*) perhibet. Eundem NERATIVM HADRIANVS in consilio habuit vna cum SALVIO IVLIANO, et IVENTIO CELSO: sic enim restituendus ex sententia plurium virorum doctorum, e quibus nomino CASAVBONVM, IO. STRAVCHIVM *e*), HEINECCIUM *f*), LOCUS SPARTIANI *g*) corruptus, qui vulgo ita legitur: *quum iudicaret, in consilio habuit non amicos suos aut comites solum, sed iuriconsultos, et praecipue IVLIVM CELSVM, SALVIVM IVLIANVM, NERATIVM PRISCVM, aliosque.* Nec obstat SPARTIANI de IAVOLENO PRISCO silentium, quin etiam hunc in HADRIANI consiliariis fuisse, cum HIER. VAN ALPHEN *h*) statuam: quum aetas eius, ceu IDEM vir doctus demonstravit, ferat, vt CAPITOLINI narrationi fidem habeamus, et in ipsius adeo ANTONINI PII comitatu fuisse eum, credamus. Ita enim hic de D. PIO *i*): *multa de iure sanxit, vsusque est iurisperitis,* VINIDIO VERO, SALVIO VALENTE, VOLVSIOMETIANO, VLPPIO MARCELLO et IAVOLENO. Quare minime necesse

*b*) de offic. et potest. magistrat. Rom. (Genea. 1725. 4.) p. 459. sq.

*c*) Diss. de libertate sentiendi Iurisperitorum veterum Romanorum hodiernorumque, (Lips. 1735.) c. 2. p. 29. sqq.

*d*) L. VI. D. si a parente quis manum.

*e*) in vita Celsorum; inter Vit. veter.

ICrorum, (Ien. 1723. 8.) p. 14.

*f*) Ex. de P. Iuuentio Celso, in Et. Sylloge Opusc. var. ex. XII. p. 503. sq.

*g*) in v. Hadriani, c. 18.

*h*) Diss. de Iauoleno Prisco ICro, c. 1. §. 3. in OELRICHS Thes. nouo Dissert. Belgic. Vol. III. T. I. p. 13. sqq.

*i*) in v. Antonini Pii, c. 12.



cesse, vt cum GVIL. GROTIIO *k*) et GOTTL. AVG. IENICHEN *l*) CAPI-  
 TOLINI auctoritatem suspectam accusemus, et loco IAVOLENI  
 IVLIANVM substituiamus: quamquam concesserim HEINECCIO *m*),  
 fuisse IVLIANVM non in HADRIANI solum, sed et ANTONINI PII,  
 quid quod DIVORVM FRATRVM consiliis *n*). VLPIVM MARCEL-  
 LVM non PIO solum, sed MARCO etiam adsedisse, probauerunt  
 TYDEMAN *o*) et IO. THEOPH. SEGER *p*). Praeter hunc Q. CERVIDIO  
 SCAEVOLA potissimum vsus est MARCVS, quod e CAPITOLINO *q*)  
 notauerunt GVIL. CORN. TEPELL *r*), IO. LVD. CONRADI *s*) et VAN  
 LEEVWEN *t*). Nemo autem Imperatorum splendidiorem ICTO-  
 rum confessum adhibuit SEPTIMIO SEVERO, ANTONINO CARACALLA,  
 et ALEXANDRO SEVERO, vtpote in quorum auditoriis fuerunt, vt  
 notissimum est, AEMILIVS PAPINIANVS, CLAVDIVS TRYPHONINVS,  
 DOMITIVS VLPIANVS, IVLIVS PAVLVS, alique, quos recenset locus  
 LAMPRIIDI *v*) decantatissimus, vbi de ALEXANDRO SEVERO: *et vt*  
*scias, qui viri in eius consilio fuerint, Fabius Sabinus, Sabini, insignis viri,*  
*filius, Cato temporis sui, Domitius Vlpianus, iurisperitissimus, Aelius*  
*Gordia-*

*k*) in *Vir. ICtor.* Lib II. c. 2. p. 105.  
 ex ed. IO. CHPH. FRANCKII.

*l*) *Diss. de Prisco Iuuleno*, (Lips. 1734.)

*§. 13. p. 25. sq.*

*m*) *Ex. de Saluo Iuliano*, l. c. p. 795. sq.

*n*) propter L. 17. D. *de iure parron.*

*o*) *Diss. cir. Sect. I. c. 6. §. 1. et 3.*  
 in OELRICHS *Thef. nouo Dissert. Belgic.*  
 Vol. I. T. I. p. 33. sqq.

*p*) *Diss. Vlpianus Marcellus*, (Lips. 1768.)  
 p. 10. sqq.

*q*) in *v. Antonini*, c. II.

*r*) *Diss. ad L. 66. D. de donat. i. v. et v.*  
*§. 1. in OELRICHS Thef. nouo Dissert.*  
*Belgic. Vol. I. T. II. p. 125.*

*s*) *Lib. sing. de vita et scriptis Q. Cer-*  
*vidii Scaenolae*, c. 10. in *El. Opusc. e iure*  
*ciu.* (Brem. 1777. sq. Voll. II. 8.) Vol. I.  
 p. 141. sq.

*t*) *Diss. I. de iuris studiosis*, c. 2. §. 9.  
 in OELRICHS *Thef. nouo*, Vol. II. T. I.  
 p. 373.

*v*) in *v. Alex. Seu.* c. 68.





Gordianus, Gordiani Imperatoris pater, et ipse reuera vir insignis, Iulius Paulus, iuris peritissimus, Claudius Venatus, orator amplissimus, Pomponius, legum peritissimus, Alphenus, Africanus, Florentinus, Martianus, Callistratus, Hermogenes, Venuleius, Triphonius, Metianus, Celsus, Proculus, Modestinus, hi omnes iuris professores discipuli fuere splendidissimi Papiniani, et Alexandri Imperatoris familiares et socii, ut scribit Acholius et Marius Maximus, Catilius Seuerus, cognatus eius, vir omnium doctissimus, Aelius Serenianus, omnium vir sanctissimus, Quinctilius Marcellus, quo meliorem ne historiae quidem continent. Qui catalogus consiliariorum ALEXANDRI quo vehementius cruciauit viros doctos, et in tot diuersas distrahit sententias, ut eas omnes legenti de salute LAMPRIIDI desperandum magis, quam sperandum esse videatur: eo certiore profecto medicinam iure suo flagitat. Neque nouerim ego quemquam, qui omne mendum ab isto loco abesse affirmauerit, praeter IENICHENIVM x), temeritatis proinde atque improbitatis arguere ausum SALMASIVM aliosque, qui sanitatis auxilia quaesiuerunt. Etenim IO. ALBERT. FABRICIVS, qui prius, LAMPRIDIO fide habita, POMPONIVM ad ALEXANDRI aetatem retulerat y), integrunque locum insuper transcripserat, meliora per BERN. HENR. REINOLDVM z) edoctus, sententiam mox retractauit a). Reliqui omnes, e quibus nominasse sufficiat CASAVBONVM b), SALMASIVM c), AEGID. MENAGIVM d), GV'THERIVM e), STRAVCHIVM f),

GE.

x) Diff. *Singularia de Callistrato ICro*, (Lipf. 1742.) §. 2. p. 11.

y) *Biblioth. lat.* Lib. III. c. 9.

z) *Or. de Sex. Pomponio ICro*; in *Et. Opuscc.* a IO. FRID. IVGLERO editis, p. 542.

a) *ibid.* Vol. III. p. 794. sq.

b) ad LAMPRIIDI l. c.

c) *ibid.*

d) *Amoenit. iur. ciu.* c. 23. p. 118. sq. ed. nouiss.

e) l. c. Lib. I. c. 18.

f) in v. *Hermogeniani*, inter *Vitas veterum ICrr.* p. 22. 23.



GE. CASP. KIRCHMAIERVM g), OTTONEM h), ill. OELRICHS i),  
 HERM. OOSTERDYK k) et ill. RAVIVM l), manifestae ἀνεπισημίας ar-  
 guunt scriptorem, vel potius sciolum librarium, qui multitudi-  
 nem ICTorum, nullo modo ad ALEXANDRI aetatem pertinentium,  
 intruserit, locumque ipsum variis modis tentant. SALMASIVS enim,  
 qui hos iurisperitentes ab aliquo sciolo iuris semidoctore, quum  
 illos vna eademque aetate vixisse crederet, huc per vim perque  
 inscitiam insertos esse putat, corruptum locum ex vetustis mem-  
 branis regiae bibliothecae Parisiensis et PVTEANI, quae multa no-  
 mina omiserunt, integrum constituit sic: *et ut scias, qui viri in  
 eius consilio fuerunt, Fabius Sabinus, Sabini insignis viri filius, Cato  
 temporis sui: Domitius Ulpianus, iuris peritissimus: Antoninus Gor-  
 dianus, Gordiani Imperatoris filius, et ipse Imperator vir insignis:  
 Iulius Paulus, iuris peritissimus: Claudius Venacus, orator amplissimus:  
 Catilius Seuerus, cognatus eius, vir omnium doctissimus: Aelius Serenia-  
 nus, omnium vir sanctissimus: Quintilius Marcellus, quo meliorem ne  
 historiae quidem continent.* Mouit autem virum doctum, vt sic  
 emendaret, non auctoritas solum Codd. nonnullorum, sed illud  
 etiam, quod animaduerneret, plerosque a LAMPRIDIO splendidis  
 elogiis ornari, non nudis nominibus commemorari, vt osten-  
 deret, qui et quales viri exstiterint, qui in ALEXANDRI consilio  
 fuerunt. Infert igitur, ita sane auctorem vbique fecisse, nec  
 quem-

g) Opusc. de latinare Digestorum et  
 Institutr. Diss. I. c. I. p. 26. sq. ed. MA-  
 DHN.

h) in PAPINIANO, c. II. §. 5.

i) *Diss. cit.* Sect. I. c. 9. §. 3. p. 53.

k) *Diss. ad fragmenta, quae ex Venuleii  
 Saturnini libris de officio proconsulis super-  
 sunt,* c. I. §. 2. in OELRICHS *Thef. nou.  
 Disserr. Belgic.* Vol. I. Tom. II. p. 453.  
 sqq.

l) *Diss. cit.* §. 3. p. 6. sq.





quemquam absque elogio dimisisse, si expungantur illi insertiti. Sed fac, posse ex hoc signo veros consiliarios ab insertitis dignosci: quid dicemus de *Pomponio legum peritissimo*, qui, etsi elogium a LAMPRIDIO acceperit, tamen ex omnium sententia est expungendus, quum diu ante ALEXANDRUM vixerit? Nonne lectorem fatigasset, si in tanto hominum censu singulis noua tribuisset ornamenta? Nec probabile profecto, vt OTTO, ill. OELRICHS et OOSTERDYK praeclare monuerunt, ineptum glossatorem, cuius mala manus tot homines alienos intruisset, tantae fuisse audaciae, vt ad ACHOLIVM et MARIVM MAXIMVM temere prouocaret, ad quos, tanquam ad nobilissimos ea tempestate historicos, solenne est LAMPRIDIO prouocare. Accedit, quod multi ex iis, quos proscripsit SALMASIVS, vere ALEXANDRI aevum attigerunt. Mallem igitur mitiori accedere CASAVBONI, OTTONIS, ill. OELRICHS, et OOSTERDYKII sententiae, qui in hoc catalogo eos tantum censent esse delendos, quos constat ALEXANDRI imperium non attigisse; causam vero erroris cum GVTHERRIO quaerere in ignorantia hominis, qui legeret fortasse apud eundem LAMPRIDIUM *m*): *leges de iure populi et fisci moderatas et infinitas sanxit: neque ullam constitutionem sancit sine viginti iuris peritis et doctissimis ac sapientibus viris; hunc autem numerum vicenarium vt integrum haberet, aliquot iurisconsultos ex prioribus temporibus adiiceret. Intactos igitur seruo FABIVM SABINVM, DOMITIVM VLPIANVM, ANTONINVM GORDIANVM, IVLIVM PAVLVM, CLAVDIVM VENACVM, FLORENTINVM, MARTIANVM, CALLISTRATVM, VENVLEIVM, MODESTINVM, CATILIVM SEVERVM, AELIVM SERE-*

NIANVM,

*m*) in v. *Alex. Sev.* c. 16.



NIANVM, QVINCTILIVM MARCELLVM; eiicio POMPONIVM, ALPHENVM, AFRICANVM, TRYPHONIVM, METIANVM, CELSVM, PROCVLVM, QUOS omnes secula antiquiora, et HERMOGENEM, vel potius HERMOGENIANVM, quem sequiora viderunt. FABIVM quidem SABINVM, GORDIANVM et MODESTINVM ALEXANDRI aevo vindicauit OTTO, FLORENTINVM et VENULEIVM, cui SATVRNINI cognomen fuit, OOSTERDYK, AELIVM MARCIANVM ill. OELRICHS, CALLISTRAIVM IENICHEN, reliquos Codicum auctoritas; POMPONIVM contra, ALPHENVM, AFRICANVM, METIANVM, CELSVM, PROCVLVM, HERMOGENIANVM temporis ratio non patitur; TRYPHONIVM ob causas grauissimas proseripxit ill. RAV. Totum itaque locum sic putarem esse restituendum: *et, ut scias, qui viri in eius consilio fuerint: Fabius Sabinus, Sabini insignis viri filius, Cato temporis sui; Domitius Ulpianus, iurisperitissimus; Antoninus Gordianus, Gordiani Imperatoris filius; et ipse Imperator, vir insignis; Iulius Paulus, iurisperitissimus; Claudius Venacus, Orator amplissimus; Florentinus; Marcianus; Callistratus; Venuleius; Modestinus; Catilius Seuerus, cognatus eius, vir omnium doctissimus; Aelius Serenianus, omnium vir sanctissimus; Quinctilius Marcellus, quo meliorem ne historiae quidem continent. Hi omnes iuris Professores discipuli fuere splendidissimi Papiniani, et Alexandri Imp. familiares et socii, ut scribit Acholius et Marius Maximus. Sequiorum Imp., qui ante IVSTINIANVM summam rerum tenuerunt, consiliarios ICTOS antiquitas nominatim non exhibet: quos autem IVSTINIANVS Confistorio adhibuerit suo, singulos recensere superfedeo, quum omnes obscuret solius TRIBONIANI nomen, quod in vulgi ore versatur.*

## EPILOGVS



## DICENDORVM INDEX.

Constitueram ab initio totum, quod de Consistorio Principum Romanorum ageret, absoluere argumentum: sed, quum inter manus creuisse opusculum animaduerteterem, et vererer, ne libelli academici limites plane esset excessurum: inuitus ab eo discessi, quamuis superesset vberissima et grauissima scribendi materia. Ne quem autem lateant, quae alio tempore, si vires adsint, sim absoluturus: hanc equidem subiiciam instituti futuri rationem. Dicam igitur proxime de personis, quae interesse possent Consistorio Principum, et qua lege quis eo honore dignus censeretur; de variis adfessorum in augusto hoc collegio nominibus et ordinibus; de munere eorundem et potestate; de honoribus iis habitis, insignibus, elogiis, salariis, immunitatibus, priuilegiis; de Imperatoris potestate in Consistorio; de causis, quae in eo tractari solerent, tam publicis, quam priuatis; de modo deliberandi in Consistorio recepto; vbi et de calculo Mineruae nonnulla adiicientur; de formulis in eodem solennibus et actis Consistorianis; de tempore, quo conuocarentur adfessores Consistorii, et loco, eidem destinato; denique de cerimonia, quibus ipse auditorii Principalis splendor augustior efficeretur. Quae interea scripsi, vt iusti harum rerum arbitri aequi bonique velint consulere, vehementer opto.

## ERRATA.

Pag. 2. lin. 5. *ipsa quidem ciuitatis primordiis* — lege: *ipsa quidem ciuitatis primordia.*  
 — 4. — 4. *lucem* — 1. *luce.*  
 ibid. — 6. *inselligamus* — 1. *intelligeremus.*



II c  
1317

Inches  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13



DE  
RIO PRINCIPVM  
PECIMEN  
OMANI PVBLICI

CONSVLTORVM ORDINIS  
TORITATE  
P R O

QVE IVRE HONORIBVS  
NSEQVENDIS

C. CIOICCLXXXVIII

L. Q. CC

TANDVM PROPOSVIT

GOTTLIEB HAVBOLD

TIVM LIBERALIVM MAGISTER

SQVE BACCALAVREVS



IPSIAE  
NA SAALBACHIA

b.h.  
420  
9.